

A 204/10

QUAESTIONUM

DE FONTIBUS

AD

ALTISSIMUM SEMINAR
DEI UNIVERSITATIS WIER

AGESILAI HISTORIAM

PERTINENTIBUS PARS PRIOR.

SCRIPSIT

EDUARDUS CAUER.

VRATISLAVIAE,

PROSTAT APUD EDUARDUM TREWENDT.

1847.

Index.

	Pag.
Prooemium	1
Caput I. De Xenophonis Hellenicis	5
Caput II. Encomium Agesilai non a Xenophonte esse scriptum	13
Caput III. De Diodori Siculi fide et auctoritate	35
§. I. De primis quinque libris	37
§. II. In sequentibus libris nihil inesse demonstratur, quod contra prioris operis partis naturam sit.	40
§. III. Solum Ephorum Diodoro inde a libro XI. ad XVI. rerum Graecarum auctorem fuisse demonstratur	46
§. IV. De Ephori fide	57
§. V. De operis Ephorei descriptione et fragmentorum ordine inde derivando disputatur	63
§. VI. Comparata hac operis Ephorei descriptione cum Diodori libris colligitur, qua ratione Diodorus auctore suo usus sit ac quid denique de Diodori fide historica statuendum sit.	86

Omnis generis humani historia contineri videtur continuitate quadam actionum e libera hominum voluntate profectarum. Sed re vera liberum hominum arbitrium historiae summam non efficit. Nam qui accuratius rerum gestarum naturam perpenderit, is aliam praeterea causam iis subesse facile intelliget. Homines enim, qui agunt, intra certos quasi rerum humanarum orbis naturae, generis, morum, institutorum communione comprehensos positi sunt, quorum ipsi partem efficiunt. Quos cum neque cogitando, neque agendo possint excedere, eos in omnibus a maiore quadam necessitate pendere elucet, ita ut quaecunque per homines fiunt in iis semper hae duae partes distinguendae sint, liberum singulorum arbitrium et variarum conditionum, quibus circumscripti sunt, necessitas. Atque ratio, quae inter utramque partem intercedit, non ubique sibi constat, sed alterutra potest praevalere, ita ut multum intersit quantum aut libera hominum voluntas in rerum conditionem aut ipsa rerum necessitas in singulos homines possit. Neque quomodo hoc se habeat in temeritate aliqua fortunae positum est, sed omnium populorum res secundum certam quandam legem progrediuntur, ita quidem, ut in eorum historia ex rationis illius diversitate tres periodi distingui possint. In prima enim necessitas illa in ipsa gentis natura et conditione posita ita per omnia dominatur, ut non modo libero hominum arbitrio nullus fere locus sit, sed ipsi

paullatim tamquam e somno ad plenam conscientiae lucem expergefiat. Ad quam ubi emergerunt, secunda periodus incipit, qua aequabilis utriusque partis ratio obtinet. Singuli rerum publicarum, in quibus vivunt, natura plane perspecta ex libero animi impetu iis conservandis et augendis inserviunt, ita, ut non amplius caecae alicui necessitati, sed legibus, quas ex proprio populi ingenio natas sibi ipsi imposuerunt, parere videantur. In tali aetate res populorum maxime florere apparet. Sed ab ipso rerum fastigio declivem cursum incipere necesse est. Labentibus moribus et institutis, quae hucusque vigerant, iam libero hominum arbitrio latus campus aperitur. Qui ceteros animi vigore superant, ii rerum potiuntur et proposita publica salute inter rerum civilium ruinas suam quisque potentiam, suum quisque commodum quaerunt. Ac quoniam talis rerum conditio interna quadam necessitate adducitur, homines in hoc historiae momento iure suo liberum et effrenatum arbitrium sequi videntur.

In nullorum populorum historia hac tres periodi facilius dignoscuntur, quam in rebus Romanorum et Graecorum. Atque in Graeca quidem historia bellis Persicis prima aetas a secunda, bello Peloponnesiaco secunda a tertia seiungitur. In illis pugnis, quibus universa Graecorum natio contra barbaros coniuncta erat, Graeci tanta omnium virium contentione certaverant, ut varia liberioris vitae semina, quae antea tamquam terra abscondita fuerant, citissime prorumperent et efflorescerent et sic Graecia, quae fere concors fuerat adversus barbaros, varia gentium et rerum publicarum natura multipliciter divideretur. Quae varietates paullatim prae una illa Atheniensium et Lacedaemoniorum diversitate evanuerunt illi partium civilium differentiae non dissimili, quae Romae Scipiones inter et Catones exstitit. Magna haec diversitas bello Peloponnesiaco exaequatur et dissolvitur. Per quod qua ratione prisca morum severitas corruerit, quomodo divina

illa lex (θεῖος νόμος), quae antea civitates rexerat, iam rebus publicis per saevas ἐταπεινῶν discordias dilaceratis lapsa sit, celebri Thucydidis loco brevibus lineamentis egregie expositum est (III. 82 et 83) qui scriptor omnino rara proprii aevi intelligentia insignis erat. Itaque finito hoc bello illa aetas inter Graecos exorta est, qua singulorum hominum arbitrium in communium legum locum successit. Quam ob rem qui ab hoc inde tempore inter Graecos exstiterunt viri illustres, prorsus alio modulo aestimandi sunt, quam qui olim fuerant. In iis enim, quae de Lycurgi vita et moribus traduntur, nihil aliud reperimus, quam ipsam veterum Spartanorum institutorum naturam et indolem, quae ut fit in antiquis gentium fabulis unius hominis nomen et formam induerit, ita ut nesciam, an Lycurgus rectius a legibus Spartanorum originem ducere dicatur, quam leges a Lycurgo. — Tum, si Themistoclem, Aristidem, Periclem spectamus, non tam hi ipsi viri nos tenent, quam magnae illae publicae caussae, quibus vitam impenderunt. Contra, quod ad Agesilaum, Epaminondam ceterosque qui ea aetate inclaruerunt viros attinet, singulatim in eorum vitas, ingenia, consilia inquirendum erit, eam ipsam ob caussam, quod hinc rerum cursus magis magisque a singulorum hominem arbitrio pendet et hi viri eodem modo Alexandro praeiverunt, quo inter Romanos Sulla, Pompeius, Caesar imperatoribus. His ego caussis motus, cum ad huius temporis historiam indagandam accederem, licere arbitratus sum Agesilao singularem quaestionem tribuere. Neque enim imprudens secutus sum fontium naturam, quippe quos necesse est, qua aetate singulorum hominum fata praevalere incipiunt, in ea enarranda ipsos etiam hanc rationem sequi. Atque id magis perspicuum est in scriptoribus iis, qui, cum Alexandri res narrarent, illum unum ante oculos habuerunt. Neque tamen non idem ad Agesilaum quoque pertinet.

Sed de hoc priusquam agam, de universa fontium natura

quaerendum est. Etenim admodum operae pretium me facturum esse arbitror, si quae historiam tractandi ratio nostro tempore maxime in rebus medii aevi indagandis probata est, in antiquitate autem nondum satis viget, illam in rem nostram adhibuero, cuius id proprium est, ut non nisi primum fontibus una disputatione comprehensis eorumque numero, genere, diversitate, cognatione, pretio explicatis ad res ipsas tractandas accedatur. Quam viam ingressi quid commodi caussae nostrae allaturi simus, mox, spero, intelligetur. Nam in hac parte maxime Sieversium, qui novissimus horum temporum historiae operam dedit, peccasse censeo, qui in ceteris non solum rerum copia et accurata diligentia, sed etiam ingenii acumine et iudicii de hominum ac rerum conditione elegantia insignis est. Qui quantum et in universa aetatis conditione integre perspicenda¹⁾ et in singulis rebus certius diiudicandis profecturus fuerit, si cautam et circumspectam fontium aestimationem promisisset, per sequentem disputationem saepius planum fiet. Iam igitur hoc peccatum evitaturi ad fontes recensendos accedimus, quo in negotio peculiarem Agesilai rationem, quae in universum in his studiis nobis observabatur, plerumque missam facere opus erit, cum in tota hac quaestione non ipsa fontium argumenta spectanda sint, sed quid auctores omnino in historia scribenda praestiterint, quaeratur. Id quod monendum duxi, ne quis miretur eam, quam nunc edimus, opusculi partem, quippe quae fundamenta tantum totius quaestionis continet, parum convenire cum inscriptione.

Atque inter omnes auctores, qui in rem nostram faciunt et tempore et dignitate primo loco ponendus est Xenophon.

¹⁾ Ipse Sievers se ab Atheniensium partibus stare confitetur, quo per Xenophontem compellitur, qui contrariam causam egit. Hunc vero errorem, qui contra gravissimas historiae leges est, evitasset, si omnibus fontibus diligenter pertractatis ad eam, quae decet historicum, animi aequitatem pervenisset.

Caput I.

De Xenophontis Hellenicis.

Hellenica re vera a Xenophonte esse scripta nescio an paullo inconsultius Lobeckius in dubium vocaverit¹⁾. Auctorem enim huius libri iis rebus quas narravit fuisse aequalem nullus fere, ut ita dicam, versus non probat, totaque operis ratio ita cum ceteris Xenophontis scriptis et cum ea, quam vitae Xenophontis et ingenii fuisse novimus, conditione consentit, ut qui eum auctorem esse negaverit, is ipsi quasi animae partem abstulisse videatur. Ceterum libri indoles tam certis et manifestis lineamentis expressa est, ut viri docti, quamvis de singulis rebus, ut fit, in magna sint varietate et dissensione, tamen de summa omnes fere idem sentiant. Xenophontem enim partium studio teneri, Spartanorumque causam agere, nec plane satisfecisse historici officio in hac parte nemo, puto, est, qui neget²⁾. Iam vero cum de re ipsa omnes consentiant,

¹⁾ Nam viro docto, quam in altera Aiacis editione p. 443 ex grammatica ut videtur ratione repetitam quasi praetereundo iccit suspicionem, eam argumentis confirmare non placuit.

²⁾ Niebuhrius, quo nemo vehementius Xenophontem Laconismi accusavit et qui in commentatione de Xenophontis Hellenicis (in mus. Rhen. I. 1827. p. 194 sqq. repetita in: Kleine historische und philologische Schriften p. 464 sqq.) Hellenica duabus diversis partibus composita esse iudicat, diverso tempore diversoque consilio scriptis, (in quam sententiam etiam Peter: Comment. crit. de Xen. Hellen. Halae 1837.

in caussis eius investigandis maxima virorum doctorum dissensio orta est; alteri enim accusandi alteri excusandi negotia sibi imposuerunt, alteri honestis alteri turpibus rationibus motum Xenophontem ad Lacedaemoniorum causam se applicuisse iudicant. Nam aut patriae ex qua propter Λακωνισμόν eiectus erat odio, aut grato erga Spartanos, qui eiectum receperant multisque obligaverant beneficiis animo¹⁾, aut privatae utilitatis cupiditate aut partium civilium studio ductum Xenophontem in illam scribendi rationem incidisse volunt. Equidem a vero omnino aberrare censeo eos, qui Xenophontem scribendo certi consilii sibi conscium fuisse certum aliquod propositum secutum esse putant²⁾. Potius simplici quodam

discessit) num verum senserit, in medio positum relinquimus, quoniam libri I. et II. quippe qui priorem partium illarum efficiant, qua Thucydidea belli Peloponnesiaci historia ad finem perducitur, omnino extra disputationis nostrae fines sunt positi. Certe Krueger (Historisch-philologische Studien) Volckmar (de Xen. Hellen. comment. historico-critica Göttingen. 1837.) et Säuppe (Zahn's Jahrb. XXV. p. 201.) Niebuhrii coniecturam reiiciunt. Delbrueck, qui Xenophontis honorem contra Niebuhrium defendere conatus est, non ita multum profecit; quem enim Xenophonti patriae amorem tribuit, quo ductus verum patriae commodum spectans scilicet diversum a civium voluntate adeo armis contra eam pugnaverit, hunc si quis etiam in Hellenicisprehendere velit, equidem non repugnabo. (F. Delbrück. Xenophon. Bonn 1829.) D. bene refutatur a Thirlwallio (Philological museum. Cambridge. I. p. 498 sqq.)

¹⁾ Non solum permiserunt, ut sedem in Laconica figeret filiosque eius in ἀγωγῶν receperunt, sed etiam praedio eum donaverunt. (cf. Diog. Laert. vita Xen.)

²⁾ In hunc errorem incidit Peter l. l. qui Xenophontem Hellenicis exposuisse docet, quomodo Lacedaemoniorum superbia orta et punita esset a diis. Haec sententia minime operis dispositione probari potest, sed uno loco nititur, qui non tam summam totius libri continet, quam sententiam quasi praetereundo iactam. (V. 4, init.) Eiusmodi loci plures exstant, exempli caussa: V. 1, 4; V. 2, 6; V. 3, 7. Ceterum ipse Peter, cum ex hoc consilio totam operis naturam explicare non possit, alias aliunde caussas adhibere coactus est; veluti manifestum Xenophontis odium in Arcadas et Thebanos ex illorum impietate erga deos ortum esse vult. Hac ratione etiam Schlosseri iudicium in ceteris ut tanti viri satis acutum mutandum esse videtur: (Universals-historische Uebersicht I. II. p. 151.) »Von einem vom Verfasser gewählten Standpunkte aus.« Xenophon enim locum suum non ipse sibi elegit.

et nativo scribendi genere Xenophontem quasi imprudentem usum esse existimo eoque ab aliis historicis differre maxime autem a Thucydide.

Thucydides enim, quippe cui rerum, quarum historiam scribere sibi proposuerat, pondere et vi in omne tempus duratura commoto κτῆμα ἐς αἰεὶ condere in animo esset, acerrimo per omnia iudicio usus est, contra Xenophon, non adhibito severo rerum omnium examine, suum tantum sensum secutus effecit, ut eius liber commentariorum (Μεμνηται) naturam prae se ferret, in quibus quae ipse praesens vidisset sibi ipsi parum diffidens in usum praesentem narraverit. Ex hac operis indole tamquam ex communi fonte fluxerunt, quaecumque in eo vel laudandaprehendimus vel vituperanda.

Hinc enim vigor ille natus est ipsiusque vitae spiritus, quem legendo hinc illinc percipere nobis videmur, hinc non minus gravissima vitia orta sunt. Nam Xenophon, cum non eo modulo rerum vim et gravitatem metiretur, qui in ipsis situs esset, eam rerum speciem veram iudicavit, quae ipsius ingenio et opinionibus conveniret et ex eodem fonte laudem et reprehensionem derivavit.

Accedit quod eius ingenium omnino a vera historiam scribendi ratione abhorrebat, nam non aptus erat ad magnum aliquem rerum nexum animo concipiendum, sed haerebat in singulis factis vel ex morum vitaeque praeceptis Socraticis vel ex artis tacticae legibus diiudicandis; atque satis etiam ipse qua ratione historiam scripserit declarat: V. 1, 4: γινώσκω μὲν οὖν ὅτι ἐν τούτοις οὔτε δαπάνημα οὔτε κίνδονον οὔτε μηχανήματα ἀξιόλογον οὐδὲν διηγῶμαι, ἀλλὰ ναὶ μὰ Δία τόδε ἄξιόν μοι δοκεῖ εἶναι ἀνδρὶ ἐννοεῖν, τί ποτε ποιῶν ὁ Τελευτίας οὕτω διέθηκε τοὺς ἀρχομένους. VII. 2, 1: ἀλλὰ γὰρ τῶν μὲν μεγάλων πόλεων εἴ τι καλὸν ἔπραξαν ἅπαντες οἱ συγγραφεῖς μέμνηται· ἐμοὶ δὲ δοκεῖ καὶ εἴ τις μικρὰ πόλις οὕσα πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα διαπέπρακται εἶ μᾶλλον ἄξιον εἶναι ἀποφαίνειν¹⁾. Ac veluti corpus aliquod certae magnitudinis ut in eo vera partium et membrorum mensura appareat certo spatio interiecto adspi-

¹⁾ Eodem fere spectat Creuzeri de Xenophontis ingenio iudicium (cf. eius libros: „De Xenophonte historico“ et: Die historische Kunst der Griechen.) atque Haasii: (De republ. Lacedaem. proll. p. 15.)

ciatur necesse est, sic actatis Xenophontea imago cam ob caussam ab ipso auctore multis partibus depravata et distorta esse videtur, quia hominibus, qui agebant et rebus, quae agebantur, nimis arcta consuetudine coniunctus erat. Hinc enim illud etiam ortum est, quod materiem non bene dispartitus alias res nimia brevitate tetigit, in aliis narrandis modum excessit; quo vitio plus fere detrimenti historiae afferri arbitror, quam ex iudiciis iniustis vel non sine partium studio factis.

Certo facilius illo vitio fallimur, quippe latente quam hoc disertis verbis expresso. Quae cum ita sint, Xenophontem puto non tam ex certo proposito rei Spartanae in Hellenicis favisse, quam universa et vivendi et sentiendi ratione ei addictum fuisse; neque rei Spartanae solum, sed etiam inter Spartanos omnino ab Agesilai parte stetisse, quocum et vitae usu et animorum consensu arctissime coniunctus erat¹⁾. Quam ob rem eae res maximae ei visae sunt, quae proxime ad Agesilaum pertinerent. Itaque factum est, ut exempli causa Agesilai expeditiones adversus Phliuntem susceptae, quae non ita magni momenti erant, iusto amplius spatium contineant, id quod non modo ipsa harum expeditionum natura docet, sed maxime facile apparet, si alios scriptores comparaveris, qui in materie distribuenda iustam normam adhibuerunt²⁾.

1) Minime enim ex solo Xenophontis Laconismo omnes Hellenicorum loci explicari possunt. Sparta illo tempore factionibus dilacerata erat, quarum alterius caput erat Agesilaus; (cuius rei documenta sunt: V. 3, 20; 4, 13 et 25—33; distinctius idem testantur Plut. Ages. 23 et Diod. Sic. XV. 19). Eidem parti faventem videmus Xenophontem, contrariam impugnantem. Hinc exempli gratia factum est, res ab Agesipolide gestas sinistro animo narraverit: IV, 7, 2. sqq. 5: ἀτε δὲ νεωστὶ τοῦ Ἀγησιλάου ἐστρατευμένου εἰς τὸ Ἄργος πονθανόμενος ὁ Ἀγησιπόλις τῶν στρατιωτῶν μέχρι μὲν ποῦ πρὸς τὸ τεῖχος ἤγαγεν ὁ Ἀγησίλαος, μέχρι δὲ ποῦ τὴν χώραν ἐδήλωσεν, ὡς περὶ πένταθλος πάντη ἐπὶ τὸ πλεόν ὑπερβάλλειν ἐπειράτο. Nec magis benevolus deinde in eius successorem Cleombrotum animus apparet: V. 4, 16.

2) L. V. c. 3. ita comparatum est, ut maior pars res ab Agesilao adversus Phliuntem gestas contineat, in minore Olynthiaca narrentur. Jam quae in hoc minore parte referuntur res gestae, eae apud Diodorum tria fere capita XV. 21—23 explent, cum expeditio adversus Phliuntios facta p. paucis capitibus 19 verbis non tam narrata quam indicata sit.

Ita factum est, ut proelio apud Coroneam commisso nimia gravitas assignata sit, quia ipse Xenophon huic proelio interfuit¹⁾. Ita factum est, ut res mari gestae etiam quae maximi fuerint momenti, vel omissae sint²⁾, vel quasi praetereundo

Idem cadit in expeditionem Arcadicam VI, 5, 10—21. Similiter totum caput VII. 2 rebus Phlasiis datum est.

1) Xenophon dicit hoc proelium fuisse: οἷα οὐκ ἄλλη τῶν γ' ἐφ' ἡμῶν: IV. 3, 16. Hinc ad praesens usque tempus a plerisque omnibus historicis in bello Bocotico narrando huic proelio maximum pondus tribuitur. Sed aliunde demonstrari potest aliud proelium in eodem bello paulo ante ad Corinthum commissum hoc et copiarum pugnantium numero et pugnae eventu et sequentis temporis fama superasse. Primum eorum numeri, qui in utroque proelio ceciderunt, a Diodoro exhibiti comparandi sunt, in proelio Corinthiaco Lacedaemoniorum eorumque sociorum C. et M., ex adversa parte MMDCCC. (XIV. 83), in proelio Coroneensi Lacedaemoniorum CCCL., Boeotiorum plus DC. (XIV. 94). Jam vero, quamquam Diodori numeri admodum dubiae auctoritatis videri possunt, tamen primo ipsos numeros falsos, rationem inter eos intercedentem veram esse verisimillimum est, tum hoc loco Diodori auctoritas ab aliis scriptoribus defenditur et confirmatur. Corinthiaci enim proelii memoriam sequenti tempore multo magis viguisse aliquot scriptorum loci docent. A Platone (Menex. p. 245), ubi de toto hoc bello agitur, clades Corinthiaca assertur, proelii Coroneensis, cuius iidem Athenienses participes fuerant, ne mentio quidem iniicitur. Andoc. de pace p. 97 narratur ter hoc bello Lacedaemonios victores evasisse, Corinthi, Coroneae, ad Lechaeum. Jam vero Corinthi, ait, πάντες πανδημεὶ οἱ σύμμαχοι victi sunt, Coroneae et ad Lechaeum non nisi pars sociorum. Idem etiam manifestius fit loco Lysiae pro Mantith. p. 147 qui dicit non nisi aliquot τάξεις Atheniensium Boeotii, cum Agesilaus invaderet, auxilio venisse, ita ut dubitari non possit, quin minores copiae Agesilao Coroneae, quam Spartanis Corinthi oppositae fuerint. Lacedaemoniorum quoque copias Coroneae minores fuisse quam Corinthi ex computatione Hellenicorum IV. 3, 15 intelligitur, comparato IV. 2, 16. Addendus est locus Demosthenis (contr. Lept. p. 472) ὅθ' ἡ μεγάλη μάχη πρὸς Λακεδαιμονίους ἐγένετο ἢ ἐν Κορίνθῳ. Omnibus his locis contra Xenophontis auctoritatem docemur Corinthiacum proelium multo maioris momenti fuisse, quam Coroneense.

2) Sic III. 2, 14—20 narratur Dercyllidam inducias iniisse cum Tissapherne et Pharnabazo. Tum subito rerum in Asia gestarum nexu abrupto narratio ad res Spartaee domesticae redit; expeditio adversus Elidem suscepta, Agidis mors, Agesilai et Leotychildis contentio de regno, alterius victoria, Cinadonis coniuratio referuntur. Subito per

tactae¹⁾, vel appendicis loco positae²⁾, nisi si quae arte militari auctori placuerint³⁾. Ita manifestum Xenophontis erga Thebanos odium explicandum est⁴⁾, ex quo quae male gesserunt non

Herodam quendam fama Spartam affertur classem barbarorum in Phoenicia comparari; sic rerum ab Agesilao in Asia gestarum relatio adnectitur. Inter has vero et in quibus supra narratio substitit inducias Dercyllidae Jacunam intercedere nemo non videt. Nec difficile est eam explere. Tradit enim Diodorus XIV. 39 Pharnabazum per primas inducias cum Dercyllida factas ad regem ascendisse et ab eo impetrasse, ut classis instrueretur eiusque imperium ad Cononem Atheniensem deferretur; tum Cononem omnia ad navale bellum paravisse. Haec si addideris, omnia optime cohaerent, c. 79 enim pergitur hinc Lacedaemonios belli gravitatem perspicientes Agesilaum in Asiam misisse simulque foedere cum Aegyptiis facto ab iis naves et frumenti copiam impetrasse. Deinde, quae Pharax Lacedaemoniorum ναύαρχος mari gesserit, pluribus exponitur. Quorum omnium a Xenophonte vix levissima mentio iniicitur; nam non nisi duobus locis per breviter admodum obscuris III. 2, 12 et 14 Pharaeis nomen occurrit.

1) Sic proelii navalis ad Cnidum commissi narratione obliqua, ut ita dicam, mentio fit: IV. 3, 10. Nam hoc proelium non suo loco narratur, sed Agesilao in Boeotiam invasuro nuntiatur proelium commissum esse et cecidisse Pisandrum uxoris fratrem; nec paucioribus verbis, qua ratione Agesilaus hunc nuntium acceperit, quam de ipso proelii eventu refertur. Quae vero maximae ex eo proelio consecutae sunt rerum conversiones, eae hic ne verbo quidem memoratae sunt. cf. Diod. XIV. 84: Λακεδαιμόνιοι μὲν ἀπὸ τοῦτου τοῦ χρόνου τὴν κατὰ θάλατταν ἀρχὴν ἀπέβαλον. Isocr. ad Phil. 25: Κόνων . . . περὶ Κνίδον νικήσας τῆ ναυμαχίᾳ Λακεδαιμονίου μὲν ἐξέβαλεν ἐκ τῆς ἀρχῆς; τοὺς δὲ ἄλλους Ἕλληνας ἠλευθέρωσεν. Aliis locis.

2) L. IV. c. 2—7, quae inde a proelio Coroneensi terra evenerunt neque re ipsa neque eventu ita magna copiosissime narrata sunt. Tum IV. 8 et V. 1 res navales arctissime cum proelio ad Cnidum commisso cohaerentes et quae multo plus ad finem bello imponendum effecerunt breviori narratione additae sunt. Videmus igitur eo quod res terra gestae praecipuum locum tenent omnem rationem huius belli perversam, cuius principium fuit classis a barbaris instructa, cuius gravissimus eventus navale proelium Cnidium, cuius finis maxime per res mari gestas adductus est.

3) Hanc ob causam VI. 2, 27 u. a. f. navalis expeditio, qua Iphicrates Peloponnesum circumvectus est, copiosissime describitur, non propter rerum in ea gestarum gravitatem, sed quia mira ducis ars militaris conspicua fuit, quae pluribus celebratur.

4) Nam etiam in hoc maxime cum Agesilao, minime cum omnibus Spartanis consentit. Agesilai enim adversarii Sparta pacem fieri cum

sine voluptate aliqua refert, praeclara eorum et imprimis Pelopidae et Epaminondae facinora vel reticet vel extenuat. Atque hoc maxime crimini versum est Xenophonti, quod Pelopidae et Epaminondae, adversariorum Agesilao non indignorum vix nomina posuit. Quod quanquam excusare minime in animo est, tamen eo explicandum esse arbitror, quod Xenophon ipse nimis propinquo Agesilai splendore obcaecatus eorum facta non plena luce vidit. Sed quomodocumque haec se habeant ex omnibus exemplis supra allatis luce clarius fit Xenophontis Hellenica in aliis partibus nimia brevitate et manca et imperfecta conditione, in aliis copia modum excedente, in aliis iudiciis non sine ira et studio factis laborare, itaque quanquam singulis rebus referta sunt ad usum historiae valde idoneis, tamen neque in iis, quae ad Agesilaum referuntur¹⁾, neque in

Thebanis volebant. Plut. Ages. c. 26. Antalcidae dictum huc spectans affertur; tum antiqua Lycurgi lex, qua vetitum erat, ne saepius contra eosdem pugnaretur, ἕπως μὴ πολεμεῖν μανθάνωσιν, denique ἦν δὲ καὶ τοῖς συμμαχοῖς τῶν Λακεδαιμονίων ἐπαχθῆς ὁ Ἀγησίλαος, ὡς δὲ οὐδὲν ἔγκλημα δημόσιον ἀλλὰ θυμῷ τινὶ καὶ φιλονεικίᾳ τοὺς Θηβαίους ἀπολέσαι ζητῶν. Jam idem privatum odium etiam in Xenophonteprehendimus. IV. 2, 18. Thebani in relatione pugnae Coroneensis ignaviae accusantur. VI. 4 in relatione pugnae Leuctrensium X. omni modo de Thebanorum laude detrahere studet. Ut proelium committerent, timore commotos vult eorum duces, ne si non pugnassent iterum a plebe urbe eiicerentur; item suspicio movetur, quae fausta Thebanis evenerunt omina, ea ducum τεχνάσματα fuisse, (similis fraus iam antea Thebanis imputata est ante proelium Corinthiacum IV. 2, 18) quanquam auspicia, quibus Agesilaus usus est, semper credulo animo accipiuntur eiusque erga deos pietas laudatur. Denique §. 8 legitur εἰς δ' οὖν τὴν μάχην τοῖς μὲν Λακεδαιμονίοις πάντα τὰναντία ἐγίνετο, τοῖς δὲ πάντα καὶ ὑπὸ τῆς τύχης καταρθοῦτο ἦν μὲν γὰρ μετ' ἄριστον τῷ Κλεομβρότῳ ἢ τελευταία βουλή περὶ τῆς μάχης· ἐν δὲ τῇ μεσημβρίᾳ ὑποπινόντων καὶ τὸν οἶνον παροξύναι τι αὐτοὺς ἐλέγετο. Estne hoc sine ira scribere?

1) Sunt in his, quae sibi ipsa contradicant. Sic quae ratio inter civitates Graecas Asiae et Spartanos intercessit nequaquam satis illustratur. Agesilaus defensoris et protectoris partes agere videtur et cum ab ephoris iussus patriae auxilio venire mollissimis verbis civibus, quos συμμαχοὺς appellat Xenophon, valediceret, πολλοὶ μὲν ἐδάκρυσαν, πάντες δ' ἐψήφισαντο βοηθεῖν μετ' Ἀγησίλαου τῇ Λακεδαιμονίᾳ· εἰ δὲ καλῶς τάκει γένοιτο, λαβόντες αὐτὸν πάλιν ἦκειν ἐς τὴν Ἀσίαν (IV. 2, 4). Mox (3, 1), ubi Agesilao refertur vicisse Lacedaemonios Co-

iis, quae ad eum non pertinent sanam operis historici naturam habere. Quamobrem valde optandum videtur, ut alium auctorem reperire contingat, qui quae hic desunt nobis suppeditet.

rinthi, continuo maximae ei curae est, ut civitates Asiae quam citissime de hac Lacedaemoniorum victoria certiores fiant, scilicet ut εὐθυμότεροι sint; qua Agesilai festinatione significari mihi videtur ei civitatum obsequium non ita certum fuisse, itaque eum, ne deficerent, metu eas deterrere voluisse. Certe postquam Lacedaemonii per cladem ad Cnidum acceptam e maris imperio eieci sunt non solum nullo modo dolorem illi produnt, quod Agesilaus iam non posset in Asiam reverti, quamvis id inter lacrimas antea ab eo petivissent, sed eodem Xenophonte teste (IV. 8, 1—2) iussi a Pharnabazo et Conone harmostas Laconicos expellere ἀκούοντες ταῦτα ἡδοντό τε καὶ ἐπύθον καὶ ξένια προθύμως ἔπεμπον Φαρναβάζῳ, eidem Pharnabazo, adversus quem antea Lacedaemoniorum auxilium imploraverant. Videmus totam huius contentiois Persas inter et Lacedaemonios naturam a X. non recte expositam esse; non enim de Graecarum civitatum libertate, sed de imperio earum decertabatur, quod imperium cum antea Atheniensium fuisset, acquisitum Lacedaemoniis a Lysandro, conservatum per paucos annos ab Agesilao, amissum est per cladem Cnidiam. Ipsae autem civitates inter utramque partem iactatae, ut fit in propria infirmitate, alterius contra alteram auxilium implorabant et, quae pars postremo ex hac pugna victrix evasit, eius erant praeda (cf. Isocr. Paneg. p. 83—87). — Similiter V. 2 postquam Mantineae διακισμός narratus est, dicitur §. 7 ἐπεὶ οἱ ἔχοντες τὰς οὐσίας ἐγγύτερον μὲν ἤκουον τῶν χωρίων ὄντων αὐτοῖς περὶ τὰς κόμας ἀριστοκρατία δὲ ἐχρῶντο ἀπηλλαγμένοι εἴσαν τῶν βαρέων δημαγωγῶν, ἡδοντο τοῖς πεπραγμένοις. Sed hoc gaudium una cum Lacedaemoniorum potentia evanuit. Nam post pugnam Leuctrensem Mantineenses ὡς ἤδη αὐτόνομοι παντάπασιν ὄντες ἐψηφίσαντο μίαν πόλιν τὴν Μαντίνειαν ποιεῖν. Et iam Spartanis et ipsi Agesilao ne speciem quidem obsequii assequi contigit. Hic enim frustra Mantineensibus pollicitus est, si nunc ab hoc consilio abstinuissent, se facturum, ut volentibus et auxiliantibus Spartanis in urbem coirent (VI. 5, 3 sqq.). Ceterum gravissimas res, quibus Agesilaus implicatus erat, sitentio praeteriri deinde videbimus.

Caput II.

Encomium Agesilai non a Xenophonte esse scriptum.

Sed antequam ad alios scriptores pergo, paullulum in libro quodam commorandum est eidem Xenophonti adscripto. Λόγον εἰς Ἀγησίλαον dico, librum mirae indolis auctoritatisque undique addubitatae. Ac si primum res ipsas in eo perscriptas spectamus et quaerimus quae facta sola huius libri auctoritate nitantur et quae sic si hic liber non ad nos pervenisset omnino non cognita habitura essemus, eorum summam admodum exiguam esse patebit. Cap. I. et II., quae ipsam vitae Agesilai narrationem continent, tota fere ad verbum cum Hellenicis conveniunt, ita tamen ut passim multi Hellenicorum loci in Agesilao non legantur, alia, quae in Hellenicis non exstant, hic immixta sint. Haec vero maximam partem eius modi sunt, ut non certa facta contineant, sed vagas Agesilai laudes ornato oratorio exstructas ¹⁾. Reliqua fere omnia in aliis quoque fontibus legimus. Nam quod I. 10 narratur inducias,

¹⁾ Sic I. 8 et 12 et 17—22 (nam etiam hic ubi narratur, quomodo Agesilaus sibi amicos comparaverit, non certa quaedam facta referuntur) 33, 34, 35. c. II. 7—8. Ceterum has laudes saepe a rebus gestis, quibus ex Hellenicis transscriptis appositae sunt, satis discrepare infra videbimus.

quas Agesilaus cum Tissapherne iniit, fuisse trimestres, etiam Nepos Ages. 2 retulit. Item I. 37 exponitur, quomodo Agesilaus Asiae civitates, quas vehementissimis discordiis turbatas invenerit, ad certum rerum ordinem redegerit. Id iisdem fere verbis legitur in Plut. Ages. 15. Quod II. 1 refertur Agesilaum μείων ἢ ἐν μῆνί iter ex Asia in Boeotiam fecisse, etiam Nepos Ages. 4 prodidit. Tum II. 9—16 in relatione pugnae Coroneensis, maximam partem ut reliqua omnia ex Hellenicis transscripta praeter rhetoricam pugnae exitus descriptionem ab Eustathio ad II. repetitam pauca quaedam neque ea ullius momenti addita sunt. Deinde II. 24 in enumerandis sociis Thebanorum aliqua immutata sunt. Denique c. II. versus finem pauca de partibus, quas Agesilaus extremo vitae tempore in rebellionibus adversus Artaxerxem motis egerit, adnotantur. Haec sunt, quae ex capp. I. et II. huius libri propria haurire licet. Neque multo felicior ceterorum capitum messis eveniet, in quibus singulae Agesilai virtutes ex ordine praedicantur et hic illic exemplis illustrantur. Nam in cap. III. tria εὐσεβείας et fiduciae inde vel penes hostes natae exempla afferuntur, quorum duo Cotyis et Pharnabazi accuratissime cum duobus Hellenicorum locis IV. 1, 3 et 29—38 conveniunt; in tertii relatione aliquid adnotatum est, quod alibi non inveni: Spithridatem eam ob causam Pharnabazo iratum fuisse, quia hic dolose eius filiam captaverat. Quae in cap. IV. χρημάτων ἐγκρατείας documenta exhibentur, eorum utrumque etiam in Plut. Ages. 4 et 10 exstat. In cap. V. in quo ἐγκρατεία τῆδοῶν tractatur, primum affertur Agesilaum ab ebrietate abhorruisse. Hic locus iisdem verbis ab Athenaeo XIV. p. 613 „ex Xenophontis Agesilao“ repetitur; deinde audimus eum δημοσίαν quae in syssitiis ei contigit summa liberalitate aliis largitum esse¹⁾. Quae tum de Agesilai somni abstinencia et similibus afferuntur, plane cum Plut. apophth. Lacon. p. 101 consentiunt. Denique ut ἀφροδισίων ἐγκρατεία probetur, eadem narratiuncula de Megabate affertur, quae etiam in Plut. Ages.

* 1) Hoc loco quod de republica Lacedaemoniorum XV. 4 omnino de omnibus regibus Lacedaemoniorum et de huius instituti vi disputatur, iisdem fere verbis repetitum et in maiorem Agesilai gloriam auctum videtur.

c. 11. exstat. Cap. VI. quo Agesilai ἀνδρεία et σοφία celebrantur, non res sed verba continet. Cap. VII. exponitur Agesilaum fuisse φιλόπολιν, φιλέλληνα, μισοπέρσην. Quae huc referuntur, quam procul a vera rerum conditione absint, deinde videbimus. Ceterum, quae hic Agesilai dicta afferuntur, eorum utrumque etiam in Nepotis Agesilao cap. V. exhibetur, alterum etiam Plut. Ages. 16. Cap. VIII. nonnulla sparsim ad Agesilai laudes adduntur, quae partim plus vel minus cum Plutarcho et Nepote congruunt (cf. Plut. Ages. 20, 21, 23. apophth. Lacon. p. 111. tum de suppellectilis simplicitate Plut. Ages. 19. Nep. Ages. 7). Cap. IX. Agesilaus multis verbis cum rege Persarum comparatur, qua in comparatione locus obvius est in Athenaeo IV. p. 144 iisdem verbis fonte nominato repetitus. Sequitur narratiuncula de Cynisca Agesilai sorore, quae eadem in Plut. Ages. 20 legitur. In cap. X. Agesilai laudes finiuntur, ita ut hic vir tamquam perfectum ἀνδραγαθίας exemplar omnibus imitandum proponatur. Numerantur eius θεοσεβεία, δικαιοσύνη, σωφροσύνη, ἐγκράτεια; fuit vir ἀήττητος ἀναμάρτητος. Hic enim caput antecedentia omnia verborum timore in magnificentius aucto superat. Denique cap. XI. appendicis locum tenet; annexa est congeries sententiarum abruptarum; §. 1 in Nep. Ages. 4 repetitur, §. 15 legitur in Plut. an senis gerenda respublica; deinde eadem §. 15 cum 9. apud Stobaeum; ceterum etiam hoc caput totum locis communibus refertum est, res non continet.

Videmus tam exiguum rerum copiam toto hoc libro comprehendendi, ut merito omnem accuratius investigandi operam repudiare videri possimus, et Mansonii assentiri, qui iudicavit (Sparta III. 2, p. 12) neque Xenophontis neque historiae multum interesse, utrum Xenophonti hic liber tribuatur necne¹⁾. Nihilominus alia quadam causa adducimur, ut altius in huius libri fidem et auctoritatem inquiramus. Non enim demonstrandum modo est hunc librum historiae non prodesse, sed etiam, ne ei obsit, cavendum videtur. Nimirum ex mea sententia eo, quod hic liber Xenophonti iniungitur, et auctoris nomini et ipsi rerum veritati maxima fit iniuria.

* 1) Simile suffragium tulit Delbrück, Xen. p. 150, ita tamen, ut Xenophonti Agesilaum vindicet.

Hac in disputatione ea argumenta, quae a viris philologis ex ratione grammatica contra huius libri fidem deprompta sunt, omittemus¹⁾. Nec magis nostrum est, in ea iudicia inquirere, quibus a viris artis oratoriae peritis et in omni iudicio elegantissimis hoc opus propter deformitatem condemnatum est²⁾. Itaque missis omnibus iudiciis, quae vel ex tota operis forma et distributione vel ex singularum partium ordine, nexu, natura peti possunt librumque arguunt esse adulterinum ac disputatione in ipsos ditionis nostrae fines conclusa in historici officio acquiescentes hoc loco nihil nisi ipsas res in hoc libro traditas examinabimus. Quae autem deinceps in tali examine notatu digna reperimus, haec sunt:

¹⁾ Tamen adnotatione dignum videtur Bernhardium, cuius tali re admodum gravis est auctoritas, in Synt. Graec. p. 24 huius libri originem ad serius tempus reicere. Neque minus memorabilis est dissensio inter ipsos libri auctoritatis defensores orta. Heiland enim, qui in editione sua Agesilaum summa cura Xenophonti vindicare studuit, nihilominus concessit (p. XVIII. sqq.) multa in eo inesse negligenter et inconcinne dicta, multa potius in futurum usum adnotata, quam accurate et diligenter narrata. Quae ita excusare conatus est, ut coniciat Xenophontem, qui senex hunc librum conscripserit, morte prohibitum esse, quominus eum plane perpoliret et ipse ederet; sic librum imperfectum post eius mortem in lucem prodidisse. Deinde, (p. XX.) ut alia difficultas e medio tollatur, conicitur accessisse iam Xenophontem ad Agesilaum denuo elaborandum, sed hoc in labore morte cum esse interceptum. Quaedam etiam insolentius dicta (p. XXIII.) recenti scriptoris dolori tribuuntur. Idem fere sentit G. Sauppium in editionis praefatione (p. 144). Implicitos hos coniecturarum errores alius Agesilai vindex prudente quadam simplicitate evitare satagit. Breitenbach enim in duabus Quaestionum de Xenophontis Agesilao particulis (in programme Schleusing. 1842 et Wittebergensi 1843) et in Agesilai editione contra Heilandium probare studuit hunc librum non modo in ipsa rerum enarratione, morum descriptione, dicendi genere omnibus numeris esse absolutum, sed etiam ubi in locis cum Hellenicis convenientibus discrepet, praefereudas esse Agesilai lectiones. Mira sane in eadem re defendenda dissensio.

²⁾ Hoc ipso artis sensu ductus fuit is, qui primus libri auctoritatem impugnavit, Valckenaerius, cui iisdem caussis motus assensus est Wytttenbachius. Indidem etiam F. A. Wolffius argumenta sua duxisse videtur, qui idem iudicium fecit. Vide Heilandii editionem, qui omnes recentium virorum doctorum de Agesilao sententias congressit.

I.

In prima libri parte (c. I. et II.) qua ipsa Agesilai vita ex Hellenicis narratur, quaecumque eorum quae in Hellenicis extant, Agesilai laudi obesse possint, neglecto etiam rerum nexu vel omissa sunt vel obscure significata, ut sinistram quandam suspicionem de operis auctore oriri necesse sit, qui tam crassa Minerva omiserit, quae ipsius consilio non convenirent¹⁾. Res vero ipsas si spectamus, suspicio multo magis augetur.

¹⁾ Hic praetereundo eorum opinio refutari potest, qui Agesilaum ante Hellenica a Xenophonte scriptum volunt, et eam ob causam statuunt, quae in utroque opere congruunt, ab Agesilao in Hellenica translata esse, hic illic quibusdam insertis. Cum enim omnino difficillimum sit ad credendum Xenophontem ea quae in Agesilao tacenda esse indicavit, ne tanti viri gloria imminuatur, eadem ipsum deinde consulto narrationi inseruisse et sic sibi ipsum offecisse, tum errare eos, qui ita sentiunt, singula exempla affatim docent. Totum bellum Spartanos inter et Persas ex Hellenicorum narratione de civitatibus Graecarum Asiae libertate ortum erat: III. 1, 3. Τισσαφέρνης... ἡξίου τὰς Ἴωνικὰς πόλεις ἀπάσας ἑαυτῷ ὑπηκόους εἶναι· αἱ δὲ ἅμα μὲν ἐλευθεραὶ βουλόμεναι εἶναι, ἅμα δὲ φοβούμεναι τὸν Τισσαφέρνην... ἐς μὲν τὰς πόλεις οὐκ ἐδέχοντο αὐτὸν, ἐς Λακεδαιμόνα δὲ ἔπεμπον πρέσβεις καὶ ἡξίου ἐπεὶ πάσης τῆς Ἑλλάδος προστάται εἶσιν ἐπιμεληθῆναι καὶ σφῶν τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ Ἑλλήνων... Οἱ οὖν Λακεδαιμόνιοι πέμπουσιν αὐτοῖς Θίβρωνα ἀρμοστήν etc. Neque Agesilao in Asiam proficiscenti aliud erat propositum, quam ut harum civitatum libertatem contra barbaros defenderet (III. 4, 5). Τισσαφέρνης πέμψας ἤρτο αὐτὸν τίνος δεόμενος ἦκοι· ὁ δ' εἶπεν ὅτι αὐτονόμος καὶ τὰς ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις εἶναι ὡς περ καὶ τὰς ἐν τῇ παρ' ἡμῶν Ἑλλάδι. Quae cum ita essent, Tissaphernes inducias impetravit ab Agesilao, dicebat enim se legatos ad regem missurum esse, qui quae Agesilaus postulasset Artaxaxi nuntiarent et sperare fore, ut Agesilaus per hos legatos sine sanguine ad propositum suum perveniret (τὰυτα διαπραξάμενον ἀποπλεῖν). Quae cum accepta essent Agesilao fiunt induciae, iurat uterque se in pacto mansurum esse; videmus omnia optime procedere. Sed quid in Agesilao? Huius libri auctori vera belli causa ignota est, opinatur enim (§. 8.) Agesilaum μὴ περὶ τῆς Ἑλλάδος ἀλλὰ περὶ τῆς Ἀσίας τὸν ἀγῶνα καθιστάναι. Sed hoc bellum de ipso Asiae imperio ortum mirum sane in modum aperitur: §. 10. ἐν τοίνυν τῇ Ἀσίᾳ ἤδη πρώτη πράξις ἐγένετο. Τισσαφέρνης ὤμοσεν Ἀγησιλάῳ εἰ σπέσασατο ἕως ἔλθοιεν οὓς πέμψεις πρὸς βασιλέα ἀγγέλους διαπραξέσθαι αὐτῷ ἀφεθῆναι αὐτονόμους τὰς

In Hellenicis (III. 4, 7—10) narratur Agesilaum, cum in Asia induciis cum Tissapherne factis aliquod tempus in otio perageret, aegre tulisse Lysandrum summam auctoritatem affectantem et in urbibus Graecis pluris aestimatum, quam ipsum regem; itaque tamdiu eum repudiasset et vexasset donec ipse peteret, ut dimitteretur; quae res Agesilao, qui maxime per Lysandrum ad regiam potestatem pervenerat certe et vitio verti potuit ¹⁾ et documento fuit Agesilaum, cum in Asiam proficisceretur, vix suarum copiarum compotem fuisse; id quod encomii auctori, qui eum de Asiae imperio decertantem facit, non acceptum erat; omisit igitur totam rem. — Deinde cum ipso bello orto Agesilaus in Phrygiam invasisset, prope Dascylium Pharnabazi equites ei obvii fiunt; fit ἱππομαχία; Graeci equites, qui in primo agmine erant, fugantur; barbari, cum in pedites Agesilai incurrerent, demum recedunt. Quo facto postero die ἄλοβα γίνεται τὰ ἱερά; Agesilaus ad mare revertitur ibique curat, ut in posterum firmior esset ab equitatu. Tota res his verbis in encomio tangitur §. 23: ἐπει μὲν

ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις Ἑλληνίδας Ἀγησίλαος δὲ ἀντόμοσε σπονδὰς ἄξειν ἀδόλως ὀρισάμενος τῆς πράξεως τρεῖς μῆνας. Sed quid civitatum Graecarum libertas ad Asiae imperium? et quo iure iurat Tissaphernes se eam a rege esse impetraturum? Temerarium sane iusiurandum ne dicam absurdum! (Weiske hanc difficultatem videns verbum διαπράττεσθαι interpretatus est: operam dare, sed ut Schneider recte monuit sensus verbi non est: operam dare, sed: opera sua aliquid perficere.) Videmus in Agesilao imperito verborum Xenophonteorum usu omnia misceri et perturbari. In Hellenicis enim satis caute dicit Tissaphernes: οἶμαι ἂν σε ταῦτα διαπραξάμενον ἀποπλεῖν; deinde vero iurat, non se hoc impetraturum esse, sed ἧ μὴν πράξειν ἀδόλως τὴν εἰρήνην. Neque ad Tissaphernem ut in Agesilao refertur verbum διαπράττεσθαι, sed ad ipsum Agesilaum. Quid vero? nonne apertum est ab homine indocto et negligente Xenophontis verba corrupta esse? An credendum vel ipsum Xenophontem ea quae in Hellenicis optime concinunt antea in Agesilao perverso ordine posuisse vel, quae antea recte scripserat, ea deinde ipsum perturbasse et sic Xenophontem Xenophontis fuisse corruptorem? Sed haec hactenus, ne longius in fines philologorum evagemur.

¹⁾ Hoc fit a Plutarcho in comparatione Ages. cum Pomp. c. 1. Ceterum maior quaedam necessitudo Agesilaum inter et Lysandrum intercessisse videtur. Plut. Lys. 22 enim dicitur Lysandrum Agesilai ἐραστὴν fuisse.

τοὶ ἀνὰ τὰ πεδία οὐδὲ ἐν τῇ Φρυγίᾳ ἐδύνατο στρατεύεσθαι διὰ τὴν Φαρναβάζου ἱππείαν, ἔδοξεν αὐτῷ ἱππικὸν κατασκευαστέον εἶναι ¹⁾.

Quae usque ad pugnam Coroneensem narratam in Agesilao exstant, ad verbum ex Hellenicis exscripta sunt. Quae autem post hanc pugnam gessit Agesilaus, ea non nisi summatim relata sunt, ita ut, quae in singulis ei bene cesserunt, ea tantum sint excerpta. Sic Hell. IV. 5 expeditio narratur ab Agesilao adversus Corinthum suscepta, circa quam urbem tum omnes adversariorum copiae contractae erant. Qua in expeditione neque Agesilai agendi ratio probanda fuit neque exitus Spartanis secundus. Potius per unius μόρας cladem ipse Agesilaus fugienti similis cum exercitus reliquii per Arcadium domum properare cogitur ²⁾, Spartanorum autem praesidia ex multis locis cedunt, quae hucusque obtinuerant. Tota haec res gravissima Ages. II. 18 his verbis absolvitur: ἐκ τούτου δὲ (ὁ Ἀγης.) . . . στρατεύει ἐπὶ τὸ Πείραιον. Ἰδὼν δὲ ὑπὸ πολλῶν φυλαττόμενον ὡς ἐνδιδομένης τῆς πόλεως ἐξ ἀρίστου μετστρατοπεδεύστο πρὸς τὸ ἄστυ αἰσθόμενος δὲ ὑπὸ νύκτα βεβοηθηκότας ἐκ τοῦ Πειραιῶν εἰς τὴν πόλιν πασσοδία ὑποστρέψας ἅμα τῇ ἡμέρᾳ αἶρει τὸ Πείραιον ἔρημον εὐρῶν φυλακῆς καὶ τὰ τε ἄλλα τὰ ἐνόητα λαμβάνει καὶ τὰ τεῖχη δ' ἐνετετείχιστο· ταῦτα δὲ ποιήσας οἴκαδε ἀπεχώρησε. Simili modo, quae Hell. IV. 6 narratur expeditio ab Agesilao in Acarnaniam facta, in encomio II. 20

¹⁾ Hac in re nova auctoris incuria notanda est ex ipso cladem Agesilai celandi studio orta. X. ita rem narrat, quasi non ipsa equitatus clades sed infaustus sacrorum exitus Agesilaum ad receptum movisset. In encomio dicitur revertisse διὰ τὴν Φαρναβάζου ἱππείαν. Jam vero sacrorum exitum simulatum fuisse ab Agesilao hoc ipsum Xenophontem, qui tantam curam in talibus rebus posuit et qui Agesilaum in Hellenicis non semel propter pietatem erga deos laudavit, unquam concessisse, quis est, qui credat?

²⁾ Hell. IV. 5, 18: ἐκ δὲ τούτου ὁ Ἀγ. τὴν μὲν σφαλεῖσαν μόραν ἔχων ἀπῆει, ἄλλην δὲ κατέλιπεν ἐν τῷ Λεχαιῶν διῶν δὲ ἐπ' οἴκου ὡς μὲν ἐδύνατο ὑψιατάτα κατήγετο ἐς τὰς πόλεις ὡς δ' ἐδύνατο πρῶτατα ἐξωρμάτο· παρὰ δὲ Μαντινείαν ἐξ Ὀρχομενοῦ ὄρθρου ἀναστὰς ἐπι οχοταῖος παρήλθεν· οὕτω χαλεπῶς ἂν ἐδόκουν οἱ στρατιῶται τοὺς Μαντινέας ἐφοδομένους τῷ δυστοχίῳ θεάσασθαι. Haec fuit eiusdem conditio qui brevi ante τοὺς τῶν Θηβαίων πρῆσβεις μάλα μεγαλοφρόνως οὐδ' ὄραν ἐδόκει.

paucis verbis comprehensa et ita mutilata est, ut quae bene gessit Agesilaus, ea tantum referantur, omissis quae minus bene gessit. Eadem ratione usque ad cap. II. finem ex iis Hellenicorum locis, ubi nomen Agesilai occurrit quae commoda videbantur, sunt excerpta¹⁾. Quae cum ita sint, factum est, ut, si tantum hoc encomium consulueris, res in Asia gestae maximam partem Agesilai factorum efficere videantur. Certe maxime gloriosam efficiunt. Quid autem re vera Agesilaus per totum hoc temporis spatium, postquam ex Asia revertit,

¹⁾ Ex his aliqua notanda sunt, quae negligentem et indoctum arguant epitomatores. II. 21 narratur Agesilaum paci, quae Antalcidae nomine notatur, tamdiu repugnasse, ἕως τούτων διὰ Λακεδαιμονίους φυγόντας Κορινθίων καὶ Θηβαίων ἠνάγκασε τὰς πόλεις οἴκαδε καταδέξασθαι. Hoc de Corinthiis verum, minime autem de Thebanis. Cum enim nemo illo quidem tempore propter Λακωνισμόν Thebis eiectus esset, potuit nemo redire. Sane nominantur in Hellenicis eodem nexu cum Corinthiis Thebani, sed aliud quid Agesilaus ab iis impetravit, scilicet αὐτονόμους εἶναι τὰς Βοιωτίας πόλεις, cf. Hell. V. 1, 32—36. Tam diversas res epitomator commiscuit! Tum una §. 22 duae expeditiones duobus annis ab Agesilao in Boeotiam factae post praesidium Lacedaemoniorum e Cadmea eiectum brevissime narrantur. Tamen in his paucis verbis notatur aliquid, quod in copiosa Hellenicorum narratione V. 4, 35—55 non exstat. Dicitur enim prima expeditione Agesilaus Cynoscephalas transgressus esse. Sed causam vidisse mihi videor. Narratur enim in Hell. V. 4, 15 Cleombrotum, qui superiore anno Boeotiam invasit, non ultro Cynoscephalas processisse. Tum §. 35 narratur arbitratos esse Lacedaemonios τὸν Ἀγησίλαον φρονιμώτερον ἢ τὸν Κλεομβρότου ἡγεῖσθαι. Sic fortasse compiler necessarium duxit, ne spes Lacedaemoniorum fallatur, Agesilaum ultra Cynoscephalas progredientem facere, quod in Hell. non relatum quidem, sed etiam non negatum invenit. Maxime autem in enarranda impressione, quam Thebani in Laonicam fecerunt, res confunduntur, §. 24. Exordium huius narrationis si spectes, de prima invasione auctor cogitavit. Hoc enim sequitur ex hostium numero, qui cum Hellen. VI. 5, 23 fere consentit, minime autem cum Hell. VII. 5, 4, ubi alterius expeditionis socii enumerantur. Deinde ipsae res gestae tam vage referuntur, ut, utram expeditionem auctor narraverit, non liqueat. Denique si finem relationis spectas, secundam expeditionem auctor in mente habuisse videtur. Quae enim §. 25 ἐπεὶ ἀπεχώρησε τὸ στρατεύμα, ab Agesilao facta esse narrantur, ea non post primam sed post secundam expeditionem evenerunt. Quis Xenophontem tantae confusionis auctorem iudicaverit?

egerit, id est per longe maximam vitae partem, id ex encomio minime perspicitur. Agesilaus enim, ut uno verbo vitae eius summam amplectar, post brevem excursionem in Asiam factam, quae ipsa ab eius proposito minime aliena erat, usque ad mortem id unum summa diligentia et pertinacia studuit, ut arbiter totius Graeciae fieret. Hanc ob causam Thebanos, qui huic consilio maxime obversabantur, inexpiabili odio persecutus est¹⁾, hanc ob causam Spartaee continua bella contraxit, quibus in omnibus civitatibus eos, qui suis partibus studerent, summae rei praeficeret et id egit, ut rempublicam, quam opibus maxime florentem adiit, per plus triginta annorum imperium fere ad exitium adduceret²⁾. Maxime enim Agesilai opera accidisse, ut Sparta hanc viam ingrederetur, qua ad interitum ferebatur et hoc ab ipsis Spartanis ei crimini datum esse vel ex nonnullis Hellenicorum locis elicere possumus³⁾ quamquam Xenophon quantum fieri potuit rem silentio

¹⁾ Vid. supra p. 13.

²⁾ Compara Spartaee conditionem brevi ante quam Agesilaus ad imperium accessit his verbis expressam: Xen. Hell. III. 1, 5: πᾶσαι γὰρ τότε αἱ πόλεις ἐπέθοντο ὅτι Λακεδαιμόνιος ἀνὴρ ἐπιτάττοι — cum illis temporibus, quibus Spartanorum mulieres hostilia castra, quod nunquam ex hominum memoria factum erat, urbis moenibus prope ad-mota viderunt, (Xen. Hell. VI. 5, 28) et quibus ipsi Spartiatae, ut haberent qui urbem defenderent, primum Helotibus libertatem promittebant, deinde hos ipsos non minus quam hostes metuebant, et eo imbecillitatis respublica videbatur pervenisse, ut nec damna accepta nec remedia pati posset.

³⁾ Xen. Hell. V. 3, 16. πολλῶν δὲ λεγόντων Λακεδαιμονίων ὡς ὀλίγων ἔνεκεν ἀνθρώπων πόλει ἀπεχθάνοντο πλεον πεντακισχιλίων ἀνδρῶν Hanc enim expeditionem adversus Pblisios maxime Agesilao instigante susceptam esse ex ipsis Xenophontis verbis §. 13 intelligere licet, si recte eius mentem perspiciamus: ἦν δ' οὐ τῷ Ἀγησίλαῳ ἀχθόμενον ταῦτα. Deinde §. 20 disertis verbis dicitur Agesipolin adversarium (ἀντίπαλον) Agesilai fuisse. Etiam V. 4, 25 manifeste dicitur Spartaee factionem Agesilao oppositam fuisse. Tum certum est ipsum Agesilaum bis causam belli contra Thebanos fuisse: primum ubi Spartanos commovit, ut Cadmeam iniustissime occupatam obsessam teneret (V. 2, 32; iratis enim Lacedaemoniis, quod Phocidas hoc iniussu civium fecisset, ἔλεγεν ὅτι εἰ μὲν βλαβερά τῇ Λακεδαιμονίᾳ πεπραχὸς εἴη, δίκαιος εἴη ζημιῶσθαι· εἰ δ' ἀγαθὰ, ἀρχαίων εἶναι νόμιμον ἐξείναι τὰ τοιαῦτα αὐτοσχεδιάζειν); tum ubi

praetermisit; sed multo manifestius in aliis fontibus expressum est¹⁾.

cum Spartaē pax agigaretur, postulantibus Thebanis, ut urbium Boeoticarum nomine ad foedus accederent negavit Agesilaus se id passurum (VI, 3, fin. 4, init.). Hoc autem non probatum esse a Spartanis etiam V. 4, 13 docemur.

¹⁾ Cf. Diod. XV. 19 ubi post memoratam expeditionem Phliasiam dicitur: κατὰ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον οἱ βασιλεῖς τῶν Λακεδαιμονίων διεφέροντο πρὸς ἀλλήλους ταῖς αἰρέσεσιν. Ἀγησίπολις μὲν γὰρ εἰρηνικὸς ὢν καὶ δίκαιος ἔτι δὲ καὶ συνέσει διαφέρων ἔφη δεῖν ἐμμένειν τοῖς ὅρκοις καὶ παρὰ τὰς κοινὰς συνθήκας μὴ καταδουλοῦσθαι τοὺς Ἕλληνας· ἀδοξεῖν γὰρ ἀπεφθίνατο τὴν Σπάρτην τοῖς μὲν Πέρσαις ἐκδότους πεπονημένην τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἕλληνας, αὐτὴν δὲ συσχευαζομένην τὰς κατὰ τὴν Ἑλλάδα πόλεις ἅς ἐν ταῖς κοιναῖς συνθήκαις ὤμοσαν τηρήσειν αὐτονόμους. Ὁ δ' Ἀγησίλαος ὢν φύσει δρασιτικὸς φιλοπόλεμος ἦν καὶ τῆς τῶν Ἑλλήνων δυνάμεως ἀντίχρητο. Plut. Ages. 23: χαλεπῶς ἔφερον οἱ Σπαρτιῶται, καὶ μάλιστα οἱ διαφερόμενοι τῷ Ἀγησίλαῳ μετ' ὀργῆς ἐπονθάνοντο τοῦ Φοιβίου τίνος ταῦτα κελεύσαντος ἔπραξεν εἰς ἐκεῖνον τὴν ὑπόνοιαν τρέποντες. C. 24: ὁ Ἀγησίλαος . . . αἰσχυρόμενος εἰ Φλιασίοις ὀλίγον ἔμπροσθεν ὑπὲρ φυγάδων πεπολημῆκώς, αὐθις ὑβηθήσεται Θηβαίους κακῶς ποιῶν διὰ τοὺς τυράννους. C. 26: σφόδρα κακῶς ὁ Ἀγησίλαος ἤκουσε δι' ἐπιθυμίαν ἄτοπον καὶ παιδαριώδη δοκῶν ἐμποδῶν γεγονέναι κρίσει δικαίαν καὶ τὴν πόλιν παραίτιον ἀπειργάσθαι παρανομημάτων τηλικούτων εἰς τοὺς Ἕλληνας. In eodem capite etiam sociorum querelae de Agesilao recensentur, ὡς δι' οὐδὲν ἔγκλημα δημόσιον ἀλλὰ θυμῷ τινι καὶ φιλονεικίᾳ τοὺς Θηβαίους ἀπολέσαι ζητῶν. Ex capitis 28 narratione Agesilaus maxime importunitate sua cladis Leutricae auctor fuit. C. 30 narratur post cladem hanc meminisse Spartanos illius oraculi responsi, quo vetiti erant χωλὸν βασιλέα habere. C. 31 tristis Agesilaei conditio viridissimis coloribus depingitur inter hostium irrisiones et civium opprobria agitati. ἦνία δὲ καὶ τὸ τῆς δόξης αὐτὸν εἶναι τὴν πόλιν μεγίστην παραλαβῶν καὶ δυνατωτάτην ἑώρα συνεσταλμένον αὐτῆς τὸ ἀξίωμα καὶ τὸ κάλλος κεκολουμένον, ᾧ καὶ αὐτὸς ἐχρήσατο πολλάκις εἰπὼν εἶναι γυνὴν Λάκαινα καπνὸν οὐχ ἑώρακε πολέμιον. C. 34: etiam quod Messeniam amisissent Agesilao criminari dant, quod cum ille concedere nollet neque vero Messeniam recuperare posset, μικροῦ τὴν Σπάρτην προσεπέβαλε καταστρατηγηθεὶς. C. 36: ἔτι δὲ μᾶλλον ἠδόξεσε Τάχῳ τῷ Αἰγυπτίων στρατηγῷ ἐπιδοῦς ἑαυτὸν. Comp. Ages. c. Pomp. 3: ὁ μὲν γὰρ ἀνδραποδίσασθαι Θήβας καὶ Μεσσηνίαν ἐξοικίσασθαι βουλόμενος ἦν μὲν ὀμόκληρον τῆς πατρίδος, ἦν δὲ μητρόπολιν τοῦ γένους, παρ' οὐδὲν ἦλθε τὴν Σπάρτην ἀποβαλεῖν· ἀπέβαλε δὲ τὴν ἡγεμονίαν. Videmus

Res ipsa, per has omissiones in encomio imaginem Agesilaei a vera toto fere coelo distantem effici tam in aperto est, ut de ea amplius dubitari nequeat. Sed possit aliquis nihilominus auctoritatem quidem huius libri historicam, minime vero auctorem Xenophontem abiicere. Quid enim? nonne egregie cum encomii natura convenit, quae proposito laudandi consilio inserviant, ea tantum narrare, omittere, quae officiant? Aliae enim sunt encomii, aliae historiae leges. Cur non ipse Xenophon, qui, qua erat dicendi arte, hoc profecto non ignorabat, consulto lectores dissimili imagine exhibita fallere potuit? Tali iudicio haec habeo, quae opponam. Licet pessime de Xenophontis fide et sinceritate existimaveris, tamen eius prudentia et circumspēctio pluris facienda est, quam quae cum illa opinione concinat. Primum enim Xenophontem, quae oblivione obrui voluit, eadem ipsum in Hellenicis perscripta paullo vel antea vel post in medium prolaturum fuisse, quis credet? Deinde etiam si de iis tantum cogitaveris, quae in utroque libro vel silentio transmissa sunt, vel plus minus abscondita: quid Xenophon penes lectores Agesilaei aequales, quorum mentibus recens rerum ab eo gestarum infixae haerebat memoria, recentissima autem extremorum vitae annorum minime gloriosorum, tacendo proficere potuit? Alia est Hellenicorum conditio. In his enim, quibus, ut videmus, universalis historia exhibetur non tam ex artis legibus, quam in privatum usum commode composita, in his Xenophontem, quae ipsius memoriae iucundissima erant, ea antehabuisse et summa diligentia elaborasse, molesta omisisse, quid mirum? Sed hoc quomodo ei libro conveniebat, qui ipsi Agesilaei laudi destinatus esset, qui tunc, ut vidimus, Spartanis eorumque sociis odio, hostibus ludibrio erat? Nonne Xenophon huius maximae certe

hic a Plutarcho disertis verbis fere eandem sententiam de Agesilao proferri, quam supra proposuimus. Sed luculentius etiam quam singula exempla tota Plutarci narratio docet Agesilaum non sine perpetua civium repugnantia ita rempublicam gubernasse, ut a summo rerum fastigio ad extremam fere debilitatem reduceretur. Ac ne quis credat Plutarchum iniquo animo contra Agesilaum fuisse. Quae enim Agesilaei facta laude digna exhibet, ea benevolentissimo animo praedicat, (cf. Comp. Ages. c. Pomp. 1, fin.)

lectorum suorum partis animi rationem habere debuit? Nonne Xenophon acerbos in Agesilaum animos lectorum eo permulcere studuisset, ut, quae ei obiciebantur, ea ipsa summa diligentia pertractaret iisque arte oratoria aliquam excusationem afferret? Nonne potius ἀπολογία quam encomium scripsisset¹⁾?

II.

Auctor autem libri nostri ita a defendendi via aberravit, ut cum in capp. I. et II. tum maxime in ceteris, quibus Agesilai mores describuntur ita eum omni laudationum genere oneraverit, ut iis, quae in Hellenicis significata in aliis fontibus aperte tradita reperimus, plane repugnent atque talia si Agesilai aequales legissent, auctor iis profecto non mentiri sed delirare videri debuit. Huc ipsum libri initium pertinet, quo narratur, qua ratione Agesilaus ad regnum accesserit; quae relatio, ommissa dubitatione de Leotychidis, quocum Agesilaus contendebat, ingenuitate, quae ipsi contentioni ansam dedit²⁾, ommissa Lysandri interpositione, sine qua Agesilaus victoriam non reportavisset³⁾, ita instituta est, ut inter utrumque de virtute contentio fuisse videatur et sic tota res τῆς πρὶν ἄρξαι αὐτὸν ἀρετῆς documentum sit⁴⁾. Magis etiam rhetoricae

¹⁾ Hac argumentatione probata non opus est Heilandii opinionem refellere, qui (p. X.) „non contradicit ei, qui proposuerit Xenophontem propterea post descriptionem pugnae Coroneensis multo brevius res gestas exposuisse, quod inde ab illo tempore res minus claras Agesilaus gesserit. Attamen hac quoque suspitione liberare mavult Xenophontem, qui omnino res gestas commemorare tantum vult, ut inde melius cognoscantur mores quorum descriptio ei maiori curae est.“

²⁾ Cf. Xen. Hell. III. 3, 1. Plut. Lys. 22. Ages. 3. quocum consentit Nepos Ages. 1. Pausan. III. 8 totam rem copiosissime narrat et Lacedaemonis exprobrat, quod καίπερ ἐνὶ σφισίν ὄν, οὐκ ἐπανήγαγον τὸ ἀμφισβήτημα ἐς Δελφοὺς.

³⁾ Hoc ne Xenophon quidem negat in Hell. III. 3, 1—4 sed maiores etiam partes Lysandro tribuit Plut. Ages. 3: ὁ Λύσανδρος . . . τὸν Ἀγησίλαον ἐπὶ τὴν βασιλείαν προῆγεν ὡς οὐ προσήκουσαν ὄντι νόθῳ τῇ Λεωτυχίδῃ. Lys. 22. ἐραστής τοῦ Ἀγησίαίου γεγὼνώς ὁ Λύσανδρος ἐπεισεν αὐτὸν ἀντιλαμβάνεσθαι τῆς βασιλείας.

⁴⁾ Xen. Ages. I. 8: ὡς γε μὴν καὶ πρὶν ἄρξαι ἄξιός τῆς βασιλείας ἐδόκει εἶναι Ἀγησίλαος τάδε τὰ σημεῖα· ἐπεὶ γὰρ Ἄγις

cap. VI. phrases a rerum gestarum veritate abhorrent ita institutae, quasi Agesilaus nunquam victus fuerit, id quod Xenophon in Hellenicis nusquam praedicat et Diodorus certe (XV. 34), ubi eas res narrat, quas Xenophon in Hellenicis V. 35—55 breviter perstrinxit, Agesilaum aperto proelio a Thebanis victum esse testatur. Quid vero dices de §. 8 comparatis iis Plutarchi locis, quos supra attulimus aliisque; dicitur Agesilaus fuisse δῆμιος ὑπὸ τῶν πολιτῶν, contra Plut. Ages. 5 narrat: οἱ ἐφοροὶ . . . ἐζημίωσαν αὐτόν. Neque magis, quae capitis VII. initio in eius patriae amorem disputantur, cum ceteris relationibus concinunt. Legimus: οὐ σῶμα οὐ γῆρας προῦφασίετο. Cui sententiae, ne afferam Agesilaum aliquando morbo affectum ab expeditionibus abstinuisse (Hell. V. 4, 58) Hellenicorum locus V. 4, 13 manifeste repugnat: καὶ Ἀγησίλαος μὲν λέγων ὅτι ὑπὲρ τετταράκοντα ἀφ' ἧβης εἶη καὶ ὡς περ τοῖς ἄλλοις τοῖς τηλικούτοις οὐκέτι ἀνάγκη εἶη τῆς ἑαυτῶν ἕξω στρατεύεσθαι οὕτω δὴ καὶ βασιλεῦσι τὸν αὐτὸν νόμον ὄντα ἀπεδείκνυε· κἀνεῖνος μὲν δὴ λέγων ταῦτα οὐκ ἐστρατεύετο, οὐ μέντοι τούτου γε ἔνεκεν κατέμεινε, ἀλλ' εὖ εἰδώς . . .¹⁾. Omnino autem quis tales laudes ei viro convenire crediderit, qui ut vidimus patriam privato odio ductus in continua bella abripuit, tum republicae salute nihili aestimata eam ob causam in inimicos suos publica munera contulit ut re male gesta a suo arbitrio penderent²⁾, qui, ut ipse Xenophon testatur,

βασιλεὺς ὧν ἐτελεύτησεν ἐρισάντων περὶ τῆς ἀρχῆς Λεωτυχίδα μὲν ὡς Ἄγιδος ὄντος υἱοῦ, Ἀγησίαίου δὲ ὡς Ἀρχιδάμου, κρίνασα ἡ πόλις ἀνεπικλητότερον εἶναι Ἀγησίλαον καὶ τῷ γένει καὶ τῇ ἀρετῇ τοῦτον ἐστήσατο βασιλέα. καίτοι τὸ ἐν τῇ κρατίστῃ πόλει ὑπὸ τῶν ἀρίστων κρινέοντα τοῦ καλλίστου γέρας ἀξιώθηναί ποίωεν ἔτι τεκμηρίων προσδεῖται τῆς γε πρὶν ἄρξαι αὐτὸν ἀρετῆς;

¹⁾ Quomodo Heilandius p. XXXVIII. hoc eo excusare conetur, quod in Hell. statim postea vera huius rei causa afferatur, non video. Nam vera causa dissimulata fictam proferre id ipsum est προφασίεσθαι.

²⁾ Plut. Ages. 20: τοὺς δ' ὑπεναντιούμενους αὐτῷ φανερώς μὲν οὐκ ἔβλαπτε, διαπραττόμενος δὲ πέμπεσθαι τινὰς ἀεὶ στρατηγούς καὶ ἄρχοντας ἐξ αὐτῶν ἐπεδείκνυε γινομένους ἐν ταῖς ἐξουσίαις πονηροὺς καὶ πλεονέκτας, εἶτα κρινόμενοις πάλιν αὐτῷ βοηθῶν καὶ συναγωνιζόμενοις οἰκείους ἐκ διαφόρων ἐποιεῖτο καὶ μεθίστην πρὸς αὐτόν.

tantum tribuit privatis filii precibus, ut Sphodriæ gravissimi delicti et quod rempublicam in magnam calamitatem adduxit, impunitatem procuraret V. 4, 25—33. Maxima denique laudum mole cap. X. refertum est, quo Agesilaus tamquam perfectum ἀνδραγαθίας exemplar celebratur, qui θεοσεβεία, δικαιοσύνη, σωφροσύνη, ἐγκρατεία excelluerit, qui ἀήττητος vitam peregerit, ἀναμάρτητος mortuus sit¹⁾. Postremo haec omnia etiam de vivo praedicata fuisse contenditur: ἀπερ ζῶν ἤκουσε ταῦτα καὶ νῦν λέγεται περὶ αὐτοῦ, de eo scilicet, qui teste Plutarcho cum viveret magis magisque κακῶς ἤκουσε. Profecto talia dicta auctoris sunt non qui lectores fallere voluit, sed qui ipse a vera cum rerum ab Agesilao gestarum tum ipsorum illorum temporum aestimatione procul aberat²⁾. Neque in Hellenicis unquam Xenophon in tales ineptias divagatur. In iis enim ubique moderato quodam et certa norma restricto laudandi genere utitur. Laudatur Agesilai φαυλότης (IV. 1, 30), constantia conventorum (III. 4, 6), eius prudentia militaris, pietas erga deos, πεῖθαρχία compluribus locis, (III. 4, 18 et IV. 3, 20) obedientia erga reipublicae iussa (IV. 2, init.), memor eius animus in bene de patre meritis (V. 2, 3 et 3, 13), humanitas eius et affabilitas erga sodales (V. 3, 20), comitas erga urbes subditas (IV. 2, init.). Quae omnia intimam Xenophontis cum Agesilao consuetudinem redolentia nec multis verbis praedicata sed breviter tacta vel ad antiquos Spartanorum

¹⁾ Molesta huius loci hyperbola prae ceteris Valckenaerio libri auctoritatem infringendi ansam dedit: „In Hellenicis enim hominis atque imperatoris peccata non praetermissa esse.“ Hoc argumentum ridicula fere ratione Reizius impugnare studuit (cf. Heiland p. III.) docens Agesilaum in encomio non simpliciter dici ἀναμάρτητον τελευτήσαι, sed καὶ περὶ τούτους ὧν ἠγγεῖτο καὶ πρὸς ἐκείνους οἷς ἐπολέμησε; peccasse Agesilaum multa, sed nihil neque in suos cives aut milites, neque in hostes. In quos igitur peccavit?

²⁾ Eodem pertinere videtur comparatio c. IX. inter Agesilaum et regem Persarum instituta. Nam tam diversa erat horum regum conditio quorum alter a Graecis κατ' ἐξοχὴν ὁ βασιλεὺς nominabatur, alter Aristotele teste (polit. III. 9 et 10) nihil nisi στρατηγὸς αἰδῖος fuit, ut, qui hoc vel ipse vidisset, profecto non eodem loco utrumque posuisset. Non magis capitis VII. verba §. 1 ἀλλὰ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ τοῦτο ἔργον ἐνόμιζε τὸ τοὺς ἀρχομένους ὡς πλείστα ἀγαθὰ ποιεῖν, cum vera regis Lacedaemoniorum conditione conveniunt.

mores vel ad Socraticas virtutum notiones referuntur. Huius autem ingenii vere Xenophontei, quod Laconismi nomine significari possit, in encomio praeter eos locos, qui ex Hellenicis fluxerunt, ne levissima quidem vestigia inveni; sed praeter hanc laudandi rationem, de qua modo disputavimus, qua auctor ita omnia virtutum genera in Agesilaum suum contulit¹⁾, veluti malus pictor omnes colores tabulae inducere solet²⁾, alii loci exstant, qui non minus hunc librum serius scriptum esse arguant.

¹⁾ Hoc brevi variorum argumentorum conspectu exhibitio maxime elucebit. Laudantur in Agesilao εὐσεβεία, ἐγκρατεία ἡδονῶν, ἀφροδισίων, ἀνδρεία, σοφία, τὸ εὐχαρι, simplicitas; dicitur Agesilaus φιλόπολις, φιλέλλην, μισοπέρσης; numerantur ἀνδραγαθία, θεοσεβεία, δικαιοσύνη, σωφροσύνη, ἐγκρατεία. Agesilaus fuisse iactatur ἀήττητος, ἀναμάρτητος; denique c. XI. μετ' ὀλίγων ἀνθρώπων οὐ καρτερίαν τὴν ἀρετὴν ἀλλ' εὐπάθειαν νομίσαι fertur.

²⁾ Nihilominus Heil. prolegg. c. V. sententias in Agesilao prolatas vere Xenophonticas esse probare studuit. Quem in finem magna diligentia eos collegit locos, quibus similes in aliis Xenophontis scriptis exstant. Neque maximam saepe similitudinem inter utriusque generis locos intercedere, est, quod negemus. Nam ipsa verba aliquoties congruunt e. g. Ages. V. 3: οὐκ ἠσχύοντο ἐν μὲν τῷ θέρει τοῦ ἡλίου, ἐν δὲ τῷ χειμῶνι τοῦ ψύχους. καὶ μὴν εἶποτε μοχθῆσαι στρατιᾶ συμβαίη, ἐκὼν ἐπόνει παρὰ τοὺς ἄλλους. Cf. Cyrop. I. 6, 25; καὶ ἐπὶ τῶν πράξεων δὲ ἦν μὲν ἐν θέρει ὡς τὸν ἄρχοντα δεῖ τοῦ ἡλίου πλεονεκτοῦντα φανερόν εἶναι. ἦν δὲ ἐν χειμῶνι τοῦ ψύχους. ἦν δὲ διὰ μόχθων τῶν πόνων. Ages. V. 1: διμοιρίαν γε μὴ λαμβάνων ἐν ταῖς θοίναις οὐχ ὅπως ἀμφοτέραις ἐρχῆτο, ἀλλὰ διαπέμπων οὐδετέραν αὐτῷ κατέλειπε, νομίζων βασιλεῖ τοῦτο διπλασιασθῆναι οὐχὶ πλησμονῆς ἕνεκα, ἀλλ' ὅπως ἔχοι καὶ τοῦτο τιμᾶν εἴ τινα βούλοῖτο. Cf. de republ. Laced. XV. 4: καὶ διμοιρία γε ἐπὶ τῷ δείμνῳ ἐτίμησαν (τοὺς βασιλεῖς) οὐχ ἵνα διπλάσια καταφάγοιεν ἀλλ' ἵνα καὶ ἀπὸ τοῦδε τιμῆσαι ἔχοιεν εἴ τινα βούλοιντο. Ages. VI. 4: Similis locus est Cyrop. I. 6, 21—24. Tum Ages. II. 8 de φιλονεκίᾳ profecto sententia est Xenophontea, saepius enim occurrit, locos collegit Heiland. Ages. I. 4; eadem sententiae recurrunt de rep. Lac. XV. 1 et 8. De aliis locis ad Heilandium relego; neque dubito, quin qui accuratius in hunc ipsum finem Xenophontis scripta perlustraverit, hanc collectionem non paucis exemplis augere possit. De re ipsa igitur plane cum Heilandio consentio, sed contrarium inde colligo, non a Xenophonte, sed a seriore grammatico, qui magnam familiaritatem cum Xenophonte contraxerit, hunc librum scriptum esse inter Horatianum illud imitatorum pecus recensendo. Quid enim aliud sta-

III.

Quae enim in Agesilai amorem universae Graeciae et in eius odium erga barbaros disputantur, quasi Agesilaus non tam Spartanorum, quam Graecorum omnium dux fuisset, ea ut vidimus non minus ab ipsius Agesilai, quam a Xenophontis ingenio abhorrent¹⁾. De primo loco huc spectante I. 8 iam supra disputavimus²⁾. Tum huc pertinent rhetorici flosculi §. 34; magis etiam veram rerum conditionem excedit §. 35, denique eodem referendum est cap. VII. 4—7. Iam vero cum omnino haec sentiendi ratio a Xenophontis animo aliena sit,

tuendum est, ubi non modo singulas Xenophontis sententias, sed ipsissima eius verba multis locis et per tota capita invenimus, totum libri consilium autem, ut demonstravimus, a Xenophontis ingenio quam maxime abhorret? Atque auctoris rationem plane perspexisse mihi videor. Primum cum ad plenam Agesilai vitam scribendam materies deesset, de rebus ab Agesilao gestis ex Hellenicis, quae visa sunt, exscripsit; tum ut alteram partem ipsas laudes continentem conficeret, quascunque in ceteris Xenophontis scriptis boni viri aut imperatoris virtutes enumeratas invenit, eas omnes Agesilao suo tribuit; ita ut quae Xenophon vel Cyrum commendantem facit in Cyropaedia vel Lycurgum imperantem in libro de republica Lacedaemoniorum vel Socratem docentem in Memorabilibus, ea omnia Agesilaus didicisse, nosse, perfecisse, superasse videri deberet. Testimoniorum loco ex aliis quibusdam fontibus perditis, fortasse Ephoro, Theopompo, Dicaearcho, aliis aliquot narrationes additae sunt. Quae ubi deerant, in nudis illis locis communibus consistere oportuit. An Xenophontem Xenophontis scripta compilasse mavis?

¹⁾ In Hellenicis uno tantum loco dicitur Agesilaus magna molitus esse contra regem Persarum, eo ipso scilicet temporis momento, quo a Spartanis in Graeciam revocabatur. (IV. 1, 41 et 2, 3). De similibus Agesilaum cum in Asiam proficisceretur non cogitasse supra (p. 17) monuimus. Etiam postea eum in Graeciam reducem nunquam aliquid fecisse, quod ad tale propositum spectaverit, potius penitus se in pugnas inter ipsos Graecos commissas demisisse, adeo ipsum eas aliquoties vel accendisse vel renovasse ipsa historia docet. Videmus igitur Agesilaum hoc Persarum imperium evertendi propositum nulla consilii constantia persecutum esse, cum neque antea neque postea tale quid spectaverit, sed hanc spem inter ipsas Asiae pugnas ortamiis finitis citissime deposuisse. Non ita encomii Agesilaus.

²⁾ Vid. supr. p. 17.

hoc ultimo loco Agesilai Graeciae amor exemplo probatur, quod a narratione, quae est in Hellenicis de eadem re, mire differt. Refertur enim in encomio Agesilaum, cum ei ex Asia revertenti nuntiaretur vicisse Spartanos Corinthi et permultos adversariorum cecidisse, hanc vocem edidisse: φεῦ ὦ Ἑλλάς, ὅποτε οἱ νῦν τεθνηκότες ἱκανοὶ ἦσαν ζῶντες νικᾶν μαχόμενοι πάντας τοὺς βαρβάρους. In Hellenicis autem IV. 3, 2 Agesilaus Dercyllidae hunc ipsum nuntium afferenti respondet: ἀρ' ἂν ὦ Δερκυλλίδα ἐν καιρῷ γέγοιτο εἰ αἱ συμπεμπουσαι πόλεις ἡμῖν τοὺς στρατιώτας τὴν νίκην ὡς τάχιστα πύθοιντο¹⁾; Quid? is qui in Hellenicis ne levissimam quidem doloris notam prodens victoriam a Graecis de Graecis reportatam astute in rem suam convertere studet, idem in encomio molles et inertes querelas iactat? Profecto hae narratiunculæ Xenophonte et Agesilao pariter indignae sunt, quorum uterque id quod ad vitae usum referebatur semper secutus talem mollitiem perhorruit.

IV.

Potius Xenophontem quidem, qui cum Agesilao intima familiaritate iunctus, eius vitam et animum accuratissime nosset et quibus rebus gestis ille maxime inclaruit, eas ipse vidisset, par erat amplam singularium rerum propriam Agesilai naturam spectantium copiam proferre, quod haud paullo aptius in encomio facturus erat, quam fecit in Hellenicis non sine detrimento artis et dignitatis historicae²⁾. Iam vero omnino encomium nostrum multo magis inanibus verbis, quam rebus,

¹⁾ Notandum est haec verba in Agesilao eo loco, ubi Agesilai reditus ex Asia narratur, qui ut cetera omnia ex Hellenicis exscriptus est, omissa esse; encomii autem de eadem re narrationem in altera libri parte extra tenorem historiae reperiri, ita ut etiam hoc doceat singulas libri partes e diversis fontibus compilatas esse. — (cf. Plut. Ag. 16. Nep. Ag. 5.)

²⁾ In Hellenicis enim multa exstant Agesilai vel artem militarem vel vitam privatam et familiam spectantia, quae historiae universali minime conveniunt; e. g. IV. 1, 1—14 multis verbis narratur, quomodo Agesilaus regem Paphlagoniae Otyn et Spithridatis filiam matrimonio inter se iunxerit; IV. 4 fin. pluribus de Agesilai matre sermo fit; V. 4, 58 Agesilai morbus copiose describitur. Ac similia haud pauca occurrunt.

refertum esse iam supra vidimus, ita ut Plutarchus, Nepos, Polyaeus, Athenaeus longe plures omnis generis narrationes de Agesilao contineant. Minor etiam fit numerus exceptis quae ad id genus pertinent, cuius modo exemplum vidimus et quod ad historiae usum nihil omnino facit. Multae libri partes mira quadam sterilitate laborant. Sic qui de Agesilai origine et adolescentia aliud quid comperire vult quam inanem Heraclidarum gentis et antiquae Lacedaemonis gloriae laudem eamque ut diximus magnam partem e libro de republica Lacedaemoniorum exscriptam, ei non hic liber Pseudo-Xenophontis, sed Plutarchus evolendus erit. Ceterum quae cognitione digna insunt et quae si illi auctores non exstarent in quibus haec omnia fere repetita esse iam demonstravi, huic libro quamvis exili certum pretium assignarent, ea ex fontibus fluxisse, qui nunc deperditi sunt ac quorum multos eosque satis copiosos etiam Plutarchus adhibuit¹⁾, supra monuimus²⁾.

¹⁾ Plutarchus, Nepos, alique quantum eorum, in quibus cum encomio consentiunt, ex hoc ipso quod iis cognitum fuisse videtur, hauserint, quantum ex iisdem fontibus, ex quibus encomii loci fluxerunt, hoc in incerto reliquendum erit.

²⁾ Praeter ceteros, puto, compilatori Theopompus non modo reliquarum rerum sed etiam ipsius Agesilai aestimationis auctor fuit. Nemo enim Theopompo facilius ad talem Agesilai imaginem concipiendam adduci potuit. Nam cum ipse cum patre Laconismi reo patria Chio expulsus esset, iam puer Lacedaemonis et magnorum eius virorum amore videtur imbutus esse. Tum Isocrate magistro usus est, qui barbarorum odio excelluit et qui quae consilia compiler sectantem facit Agesilaum, eadem perpetuo docuit et repetiit, e. c. in panegyrico. Denique facile fieri potuit, ut Alexandri laudes, a quo in patriam restitutus erat, in Agesilaum transferret. Invitabat enim ipsa rerum gestarum similitudo quaedam quae scriptori ab Agesilai aetate satis remoto iusto maior videri potuit (cf. Pflugk Vita Theop.). Ceterum Theopompum, qui alioquin conviciis nimis indulgere solebat, similiter de Agesilao sensisse Plutarchi loco probatur Ages. 10: καὶ μέγιστος μὲν ἦν ὁμολογουμένως καὶ τῶν τότε ζώντων ἐπιφανέστατος ὡς εἴρηξέ του καὶ Θεόπομπος. Contra Ephorus, si vera sunt, quae de Diodoro sumus disputaturi, Epaminondae palmam tribuit. Diod. XV. 88 enim inter eos, quos Epaminondas omni virtutum genere superaverit, etiam Agesilaus recensetur.

Quae cum ita sint, si singula, quae deinceps ad huius libri auctoritatem infringendam attulimus, breviter repetita sub uno conspectu collocamus: eas res, quae Xenophontis tempore in omnium ore erant, esse omissas, nullam libri partem vel ingenium Xenophonticum sapere vel intimae, quae Xenophonti cum Agesilao intercedebat, familiaritati convenire, multa inesse, quae auctorem indoctum et imperitum, quae servilem Xenophontis imitatore arguant, imprudenter laudari Agesilaum, ubi defensionis locus erat, alias ei virtutes tribui ac quas Xenophon tribuisset; praeterea si tantae huic indiciorum ex libri argumento ductorum copiae ea adnumeramus, quae ab aliis prolata sunt leges grammaticas, rhetoricas, aestheticas spectantia, contra hanc argumentorum phalangem veterum scriptorum testimonia ab Heilandio (prolegg. c. II.) diligenter collecta nihil efficiunt. Pars enim tam incertae naturae est, ut nihil inde colligi possit. Huc pertinent ii loci, quibus verba respiciuntur Hellenicis et Agesilao communia, quos rectius intactos reliquisset Heilandius. Alios autem locos exstare, quibus certissimum fiat non modo vulgatum fuisse apud veteres encomium Agesilai Xenophonti adscriptum¹⁾, sed etiam cum ipsum librum, qui ad nos pervenit, antiquitus Xenophonticum esse ductum²⁾, non est, quod negemus. Sed etiam his nihil aliud probatur, nisi iam vel Ciceronis vel certe Plutarchi aetate homines in eodem errore versatos esse, quem superioribus impugnare studuimus, fraudem igitur, qua nostra etiam aetas decipitur, ante illorum tempora fuisse commissam. Hoc vero iudicio nostro de libri auctoritate minime obest, nam etiamsi Cicero hoc ipsum, quod hodie exstat, opus laudavit, tanta fuit iam ante illius aetatem inter Graecos imitatorum multitudo, ut mirum non sit, si etiam Xenophon reperit, qui ad illius exemplum librum componeret ipsiusque etiam nomen aut ipse usurparet aut alios, ut id facerent, induceret. Ac ne quis Ciceroni ceterisque quos nominavimus scriptoribus talem errorem tribuere dubi-

¹⁾ Hoc testantur Cicero, Dionysius, Nepos, Diogenes Laërtius.

²⁾ Hoc probatur locis Plutarchi, Aristidis, Athenaei, Pollucis, Stobaei, Grammaticorum. Locis ab Heilandio citatis addi possit Arsenius Violet. ed. Walz. p. 127.

tet, veteres in arte critica exercenda non admodum accuratos fuisse nemo ignorat. Postremo id quoque in auxilium vocare iuvat, quod in Xenophontis nomen haud pauca collata esse satis constat, quae quin subdititia sint, hac aetate nemo dubitat. Quare Heilandius videtur neque veterum testimoniis quidquam profecisse neque etiam reliqua ei satis successerunt, sive spectamus certa Xenophontae originis documenta ex ipsa libri natura elicienda¹⁾, sive contraria argumenta a nobis explicata, quorum ille ne pondus quidem satis videtur sensisse.

Quae cum ita sint, omni dubitatione remota, λόγον εἰς Ἀγγισ(λαον) a Xenophonte abiudicandum esse censeo.

Quo probato multum ad Agesilai ipsius totiusque illius Graecorum aetatis ingenium recte perspicendum profecisse nobis videmur. Removetur enim molestissimus ille fontium dissensus, quo cum plerique omnes Xenophontis auctoritatem sequi maluerint, falsissimum de Agesilao iudicium divulgatum est. Neglecta enim Plutarchi et Diodori auctoritate ipsiusque rerum gestarum naturae nulla ratione habita, illa opinio invaluit, ut Agesilaus Persarum imperium evertendi et Graeciae gloriam et opes augendi studio videretur arsisse et iisdem

¹⁾ Nonnulla Heilandii argumenta hic illic in praecedente disputatione refutavimus. Unum restat, de quo paucis monere satis est. In ea enim Agesilai parte, quae ex Hellenicis fluxit, verborum scriptura multorum ab Hellenicis differt, ita ut verborum collocatio, modi, tempora, passim etiam verba mutata sint. Hanc diversitatem Heiland p. IX. aliter explicari non posse censet, quam ita, ut ipsum Xenophontem illas particulas transtulisse statuamus. „Alius enim si transtulisset illas particulas, cur non maluisset ad verbum ex Hellenicis in Agesilaum transscribere? Cur mutasset et meliorum loco deteriora posuisset? Xenophon ipse transtulit illas particulas, sed transcripsit e commentariis nondum elaboratis.“ Sed hoc argumentum facili negotio refellitur. Primum enim quae Heilandius in deterius mutata putat, in iisdem compiler Xenophontis orationem emendasse, sibi videri potuit. Neque vel hodie desunt, qui Agesilai lectionem Hellenicis praeferant. (V. quae supra de Breitenbachio disputavimus.) Tum tota haec varietas non tanta est, quin ex librorum manuscriptorum discrepantia satis explicari possit.

consiliis in Asiam transisse, quibus consummatis deinde Alexander immortalem sibi gloriam peperit¹⁾. Sed hic barbaros debellandi animus postea demum a Macedonum regibus inter Graecos excitatus est. Agesilai tempore alio vergebant eorum ingenia²⁾. Ea enim a belli Peloponnesii fine usque ad Macedonum imperium Graeciae historiae summa fuit, ut, quae inter singulas civitates obtinuerant morum, institutorum, legum diversitates, eae omnes variis pugnis, foederibus, rerum conversionibus, exaequantur et evanescent et sic universa Graecia eo confusionis et infirmitatis perveniret, ut aliena imperia pati parata esset. In iis autem tumultibus, qui hanc Graeciae conditionem adducebant, oppositarum partium principes Lacedaemonii erant et Thebani; alteri enim Graeciae imperium, quod bello Peloponnesio assecuti erant, retinere, alteri illos eo deicere studebant. Et cum frangi Spartanorum opes necesse esset, ut Graecia eo, quo universa aetas tendebat, perveniret, Thebani, quos Epaminondas et Pelopidas adducebant, victores ex hac pugna evasere. Lacedaemonios eorum eo magis consentaneum erat succumbere, quod iam bello Peloponnesio non sine detrimento pristinae reipublicae naturae vicerant, itaque ut victoria fruerentur magis magisque a recta via aberrabant. Iam vero Agesilaus, qui Lacedaemoniis huius contentiois auctor et dux erat, eo ipso fato videbatur natus esse, ut cum in parvis rebus et privatis primam moris speciem retineret, in maximis et publicis patriam

¹⁾ Sievers p. 146 recte monuit Agesilao consilia multo inferiora et humiliora fuisse. Sed quae obstitit huic aententiae Agesilai Pseudo-Xenophontei auctoritas, eam suspectam quidem verbo praetereundo iacto reddidit, (p. 387) sed non removit.

²⁾ Neque vero illud consilium, quod Agesilaum secutum esse plerique putant illo tempore prorsus ignotum erat. Isocrates enim, quod iam supra monuimus, Graecos continuo scriptis cohortatus est, ut omissis inimicitiiis internis Asiae bellum inferrent; sed eo, quod etiam atque etiam eandem sententiam frustra repetiit, luculentissime probatur eum surdis auribus cecinisse. Ceterum, quod in epistola ad Archidamum missa solum Agesilaum suis consiliis favisse dicit, id eo facile explicatur, quod filium, cui scribebat, patris auctoritate motum in partes suas trahere studuit. Filio enim non tam verum dicere, quam persuadere volebat.

magis magisque sui dissimilem redderet¹⁾ atque simul ipsi rerum necessitati obniteretur, itaque non modo omnes Spartanorum hostes sed propriorum quoque civium magnam partem adversarios nactus, caussa cui vitam impenderat perdita, et ipse periret. Sed haec hactenus. Accuratius enim haec explicanda sunt cum universam huius temporis historiam scribemus. Illud certe effecisse nobis videmur ex fontium numero, e quibus certi et veri aliquid de Agesilao cognosci possit, eximendum esse encomium.

¹⁾ Agesilaus mox postquam ad regnum accessit variis artificiis, ἐδημαγώγει καὶ προσήγετο πάντας. ὀρῶντες οὖν οἱ ἔφοροι ταῦτα καὶ φοβούμενοι τὴν δύναμιν ἐζημίωσαν αὐτὸν, αἰτίαν ὑπειπόντες ὅτι τοὺς κοινούς πολίτας ἰδίους κτᾶται (Plut. Ages. 5). Hoc vero quid est aliud, quam ipsa reipublicae natura destructa legis loco suam ipsius potestatem ponere. Quod poena illa ephoros prohibere non potuisse Agesilai historia luculenter docet. Cf. Xen. Hell. V. 4, 25—33. Plut. Ages. 30 et 32, multisque aliis locis.

Caput III.

De Diodori Siculi fide et auctoritate.

Post Xenophontem et temporis ordine et scribendi genere primo loco ponendus est Diodorus Siculus. Cuius narrationem si vel obiter cum Xenophontea comparaveris, facile intelliges hos scriptores et in rebus ipsis, quas tradunt et in disponenda materie et in aestimanda rerum hominumque dignitate saepissime discrepare. Ex quo dissensu quamquam difficultates nascuntur, quae vehementer suspensum teneant historici animum, tamen simul spes oritur reperta esse, quae ad supplendum Xenophontem faciant. Cum autem Diodorus, quippe qui Augusti tempore vixerit, non in fontium primarium numero sit, ut de eius fide iudicare possimus, primum investigandum est, quos fontes ipse secutus, deinde, qua ratione iis usus sit. Ac licet parva tantum operis Diodorei pars ad propositum nostrum proprie pertineat, tamen nonnisi totius operis consilii et naturae ratione habita de his rebus iudicium fieri potest. Qua in re explicanda, si quid ante nos praestitum sit quaesieris: ea, quae primum locum tenet, Eyringii¹⁾ disputatio, nihil omnino profecit. Auctor enim artis

¹⁾ Eyring: Gedanken von der Stelle, welche Diodor unter den Schriftstellern und besonders unter den Geschichtschreibern verdient. In: Gatterer, Allgemeine historische Bibliothek Vol. IV. Is quomodo soleat de rebus iudicare, exemplo sit iudicium de fabulosa rerum Aegyptiacarum nar-

criticae prorsus imperitus in ea quaestione maxime versatur, ad quod historiae genus, catecheticum an philosophicum an pragmaticum an systematicum, Diodori opus pertineat. Ceterum, quae ante eum viri docti de Diodoro iudicaverunt, diligenter collegit. Multo pluris faciendae sunt Heynii, summi viri „Commentationes de fontibus et auctoribus historiarum Diodori et de eius auctoritate ex auctorum quos sequitur fide aestimanda“ perscriptae¹⁾. Sed quamquam tanti viri laudem detrectare mihi minime in mentem venit, tamen hoc eius opus ita comparatum est, ut in nostra quaestione non magnopere nos adiuvet neque officio ex integro in totam rem inquirendi supersedere possimus. Primum enim Heynio, cuius tempore huius generis quaestiones prorsus novae et inusitatae erant, contra eiusmodi opiniones et errores pugnandum fuit, quos nos dudum abiecimus; quo studio aliae partes magis, quam par erat, neglectae sunt²⁾. Tum nostro tempore auctis auxiliis aucta etiam est quaestionum copia³⁾. Ceterum si Heynio maxime in altera opusculi parte, quae multo minus diligenter elaborata est, (imprimis enim Aegyptiacis operam navavit) passim humani quid accidit, quis non ei, qui in hoc quaestionum

ratione factum p. 43: „Man wird ganz zu Vergnügen und Enthusiasmus für die Tugend eingeschmolzen.“

¹⁾ Hae commentationes primum in Commentt. societ. Gotting. vol. V. et VII. typis expressae, deinde in quibusdam Diodori editionibus, in Bipontina, in Dindorfiana repetitae sunt.

²⁾ Heynius enim imprimis eos impugnat, qui quaecunque propriae intelligentiae non prorsus plana fiunt et conveniunt, ea auctores mentitos esse contendunt eaque abiiciunt. Contra hos probare studet Diodorus non hominem esse mendacem, sed in omnibus certos auctores secutum esse; itaque hos esse in iudicium vocandos, non ipsum Diodorum; atque hinc factum esse, ut Diodoro in diversis partibus diversa sit fides. Ita accidit, ut, cum de fontibus Diodori ageretur, ipsius opera nondum perpensa sit.

³⁾ Maxime id me adjuvit, quod nonnullorum auctorum fragmenta collecta et in certum ordinem redacta sunt. Hac ratione Wicheri Theopompo, Marx Ephoro, Goeller Timaeo profuerunt; quae coniuncta cum aliorum historicorum Graecorum fragmentis nuper a Muelleris edita sunt in corpore Didotiano. Parisiis MDCCCXLI.

genere praevit, veniam dedit. Sed nihilominus his caussis moti denuo proprio Marte totam quaestionem tractando non acta nos acturos esse credidimus.

§. I.

De primis quinque libris.

Qui cum descriptionem totius operis, tum maxime librorum quinque primorum indolem vel obiter perpenderit, facile percipuum fit Diodorum ea, quae ex variis fontibus haurit, minime in unum corpus una veluti anima peritum conformasse. Universalis enim historiae ordinem quasi implevit, ut diversorum scriptorum particulas continuas, sed summatim relatas ex temporum locorumque ordine deinceps poneret, varia eorum indole ac natura servata¹⁾. Quod inde a septimo libro demum res ad singulorum librorum ordinem digestae sunt et quod res barbarorum in libris I—III praemittuntur, rerum narratarum natura factum videri possit: quamquam hoc alterum, quod ipso Diodoro teste temporum ordini repugnat, (I. 9) et in quo, ut Heynius recte suspicatus est (p. 99), Ephorum imitatus esse videtur, Diodorus certo non fecisset, si in fontibus, quos secutus est, barbara et Graeca conjuncta reperisset. Sed ipsos libros I—V perlustrantes (VI—X perditum sunt) non modo confusus et perversus rerum ordo nos occupat, sed etiam statim intelligimus singulas res pro fontium varietate admodum diverse tractatas esse. In libro I. Aegyptiaca continente, quem manifestum est maiore cum diligentia scriptum esse, quam ceteros omnes, Graecae et Aegyptiacae mythologiae comparatio (c. 11—25), antiquitatis Aegyptiacae descriptio ad imitationem excitandam et mores formandos composita, (quam Heynius non male cum Cyropaediae ratione contulit p. 124)

¹⁾ Diodorus ipse I. 1 se in hoc opere conscribendo vitae usum spectasse affirmat, ad quem ea, qua scripsit, aetate, cuncta referebantur. Ex hoc proposito passim vel rerum referendarum vel auctorum adhibendorum delectum quodammodo constitutum esse crediderim. Ipsius enim narrationis tanta est varietas, ut in ea certum consilium minime deprehendi possit.

(c. 70—82), Graecae sapientiae et Graecorum institutorum origines ex Aegypto derivatae (c. 79 et 96—98), luculentissime aetatem Alexandrinam sapiunt, qua veteribus tam Graecorum quam Aegyptiorum moribus deletis, e mixtis utrorumque reliquiis mira quaedam colluvies orta erat. Aliud prorsus ingenium redolent lepidae libri II. narratiunculae de Assyrorum et Babyloniorum antiquitate, quae ex Ctesia fluxerunt (cf. Heyne commentt. vol. VII. p. 77.), quibus similia de Medis et Indis immixta sunt. Diodorus postquam primo morum praecepta, tum facetas fabulas tradidit, iam libro III. geographi partes sustinet, qua in re alio studiorum Alexandrinorum fructu utitur. Sequitur enim in rebus Aethiopum enarrandis Agatharchidem (cf. Heyne p. 89). Tum altera libri III. et maior libri IV. pars mythis refertae sunt, in quibus referendis et mol. tissime ex ratione humana *πραγματικῶς* explicandis fere ubique Dionysium videtur secutus esse (Heyne p. 94 et 97). Quem auctorem quo loco missum faciat, manifestissimum est. Inde a medio libri IV. cap. 67 enim velut in appendice aliquot fabulae narrantur, quae a praecedentibus plane diversae omnes ad certum aliquem locum referuntur, pleraeque in nomine geographico explicando terminantur et inde a cap. 77 med. omnes ad Siciliam pertinent. Quae utrum e Timaeo fluxerint, an ex alio scriptore, in medio positum relinquimus. Certe in libro quinto, a quo historiam quasi denuo orditur, Timaeum sequitur. Liber quintus enim, (qui ab ipso *βιβλος νησιωτικῆ* appellatur, quamquam non modo insularum, sed continentium quoque descriptionem continet), cum praecedentibus nulla argumenti continuitate coniunctus totus ad Timaei libri primi exemplum conscriptus esse videtur, id quod huius libri fragmentis cum eo comparatis elucet¹⁾. Simili ratione, qua libri quarti fini appendix adiuncta est, etiam ipsi narrationi passim aliqua inserta sunt aliunde petita; sic II. 29—31 locus de Chaldaeis, IV. 56 de reditu Argonautarum, V. 64—80 de Creta insula. Sed tales loci nullo modo

¹⁾ Cf. Timaei fragmenta in editione Didotiana, ubi Diodori loci comparati sunt et ibid. prolegg. p. LII. et LIII. Uno loco comparatio augeri possit. Nam cum fragmento 34 Diod. V. 23 locus de nomine insulae Basiliae manifeste convenit.

iudicio nostro repugnant; potius plenius demonstrant hos libros ita comparatos esse, ut non pannum videre tibi videaris uno tenore contextum, sed centonem ex diversis laciniis varie consutum. Et quae videri possint diligentius conscripta esse, ne ea quidem, si accuratius investiges, speciem illam tuebuntur. Dico autem locos eos, in quibus Diodorus duos auctores contraria de eadem re referentes componit. Hoc fit II. 7 bis, IV. 4. 8. 55. V. 61 fin. et ut totum hoc locorum genus comprehendam XIII. 54. 60. 80. XIV. 11 et 16, XVI. 56. Ac nonnullos quidem horum locorum iam Heynius removet, monens (p. 98) Diodorum, quoties aliorum auctoritate utitur, id eius quem exscripsit scriptoris verbis facere potuisse. Sed restant quidam loci, quibus ipsum Diodorum duos auctores contulisse negari non potest. Hi autem quotquot reperi non ad gravem de rebus ipsis dissensum pertinent, sed levissimas quasdam res veluti diversos copiarum numeros et similia tangunt in iisque ii tantum scriptores ad comparisonem adhibiti sunt, qui ipsi in aliis operis partibus soli Diodoro auctores fuerunt; itaque his neque ut in litteris magis versatum neque ut in rebus referendis magis subtilem existimemus Diodorum movemur. Potius eos ipsos auctores, quos eum in multis secutum esse constat, Ctesiam, Timaeum, in aliis partibus eum parum excussisse aliis quibusdam locis probatur, quos quamquam ad posteriores libri partes pertinentes, tamen quia Diodoreae doctrinae illustrandae optime inserviunt, huc trahere iuvat. XIV. 22 Diodorus refert Artaxerxis exercitum in proelio ad Cunaxam commisso quadringentis hominum millibus constitisse, teste nominato Ephoro, quem ut deinde videbimus in tota hac historiae parte exscripsit. Primum huius numeri auctorem fuisse Ctesiam, quod ex Plut. Artax. c. 13 discimus et ex eo Ephorum ipsum ut alia permulta¹⁾ ita hoc quoque hausisse fugit Diodorum, quamquam ipse ex Ctesia alia aliis locis exscripsit; itaque duorum auctorum quos tra-

¹⁾ Hoc enim cum ex aliis quibusdam indiciis tum ex hoc ipso loco colligitur, quo Ephorus in re, de qua testibus Plutarcho et Xenophonte scriptores discrepabant, auctore non nominato (si enim nominasset, Diodoro quoque cognitus foret), Ctesiam secutus est, quod, nisi in aliis eodem auctore usus esset, profecto non fecisset.

ctavit concentum non sensit. Similiter Diod. XVI. 70 refert Dionysium iuniorem ἐν μικρῷ στρογγύλῳ Corinthum fugisse, hanc narrationem a Timaeo, cuius nomen alioquin saepissime usurpat, correctam esse (cf. fr. 133) ignorans. Atque in operis indole spectanda talibus indiciis plus tribuimus quam ipsius testimonio, quo se triginta annorum operam ei impendisse praedicat (I. 4).

§. II.

In sequentibus libris nihil inesse demonstratur, quod contra prioris operis partis naturam sit.

Sed ei iudicio, quod superiore capite ex primorum quinque librorum et singulorum quorundam locorum examine profectum est, tota reliquorum librorum ratio contraria videri possit. Nam si post quinque librorum perditorum lacunam eundem Diodorum libro XI. bella Persica narrantem reperimus, prorsus alium scriptorem legere nobis videmur. Hinc auctor iam non amplius inter varias scribendi rationes fluctuat, sed eodem fere modo per reliquam operis partem sibi constat. Temporum et locorum confusionem in ordinem maxime perspicuum commutatam videmus. Res usque ad librum XVII. ita per libros distribuuntur, ut singuli in gravibus Graecae historiae eventis terminentur. Sic liber XI. bella contra Persas gesta continet, liber XII. expeditione ab Atheniensibus adversus Siciliam suscepta finitur, libri XIII. finis cum fine belli Peloponnesiaci congruit, liber XIV. pace Antalcidae clauditur, libro XV. res usque ad Philippi Macedonum regis initia perducuntur, liber XVI. Philippi, liber XVII. Alexandri historiam continet. Hinc alia dividendi ratio incipit a rebus in Sicilia gestis ducta. Liber XVIII. incipiente Agathoclis tyrannide finitur, etiam librorum XIX. et XX. fines per res ab eo gestas constituuntur. Suum cuique libro prooemium praemissum est, quo vel eius libri fines describuntur vel alia quaedam notantur sive ad praecedentia sive ad sequentia referenda sive ut in prooemio libro XX. praefixo cum rebus narrandis aut narratis nullo modo con-

nexa. In ipsis libris res accurate per Olympiades et per annos digestae sunt. Olympiades numerantur et victorum Olympicorum nominibus notantur; anni ab Atheniensium archontum et consulum Romanorum nominibus incipiunt. Tum ea, quae uno anno gesta sunt, ubi e-re erat, secundum locorum et rerum diversitatem sunt seiuncta, ita quidem, ut solae res Siculae eadem qua Graecae dicendi copia tractatae sint¹⁾, res Romanae autem et quarum praeterea hinc illinc mentio iniicitur appendicis chronologicae loco singulis annis tributae magis notentur quam narrentur. Atque inter haec notata multa ad litterarum historiam pertinent, ita ut in iis clarorum scriptorum philosophorum poetarum mors aut ἀκμὴ tradatur, tragicum aliquem primum fabulam docuisse referatur, similia; et id quod imprimis memorandum est, ad idem notatorum genus etiam ea pertinent, quae de operum historicorum initio aut fine passim afferuntur. Denique ipsa rerum Graecarum et Sicularum narratio aequaliter progreditur, nullo diversae singularum partium originis vestigio exstante. Jam quaeritur, unde hic operis habitus ortus sit; duplici enim ratione explicari potest. Diodorus aut quae a diversis auctoribus tradita accepit tam diligenter conseruit, ut nullum iunctionum indicium remanserit aut omnino non ex diversis sed ubique ex eodem fonte hausit. Si reputamus, quantum temporis ipse Diodorus se in hoc opus impendisse dicat et auctorem ad nostrae aetatis modum metimur, ad priorem opinionem ut accedamus compellimur. Atque in hanc partem etiam Heynium concessisse conicere licet, quamquam ipse disertis verbis hoc non expressit. Sed audiamus eum de singulis iudicantem: „In rebus Graeciae Ephorum ab eo maxime exscriptum esse satis persuasum habeo. Callisthenem adeo per libros XV. et XVI. passim excrispsisse dicendus Diodorus. Herodotum deseruisse et diversa tradentes praetulisse videtur. In Persicis Ctesiam sequi maluit. Forte et Dionysium Milesium in rebus post Darium gestis adhibuit. Thucydidem haud dubie consuluit Diodorus. Theopompi

¹⁾ Excepti sunt libri XVII. et XVIII., qui solis Alexandri et διὰ δόξαν rebus referti sunt. Quod unde explicandum sit, infra videbimus.

vestigia in Diodori libris XIII. XIV. XV. superesse non dubito. Per totum librum XVI. Diodorus Theopompum manifeste expressit. Nec tamen uno Theopompo contentus Duridem Samium quoque adhibuit in iis, quae Philippi aetate evenere. Credere licet in libris XI. XII. XIII. XIV. XV. Graecarum rerum multas passim narrationes ex Anaximene haustas esse. Dionysiodorus et Anaxis haud dubie in rebus maxime Thebanis consulti. Apollodorum Atheniensem in temporum notatione passim adhibuit. In rebus Siculis scriptorem adhibuit non unum, imprimis tamen Timaeum cum Ephoro. Quidquid inde ab antiquissimis aetatibus de rebus Siculis narratum est, e Philisti opere priore potest magnam partem esse profectum. Athanam inde a libro XVI. cap. 5 ante oculos habuisse videri debet. Praeter hos Heynius Antiochum et Diyllum et in Agathocis historia alios atque alios adhibitos esse putat; rerum Punicarum auctorem affert Sosilum Iliensem, Judaeorum Hecataeum Abderitam, Romanarum Fabium Pictorem, Polybium, Posidonium. Quodsi Heynius recte iudicavit Diodori opus ex omnibus his fontibus coaluisse, Diodoro docti, diligentis, elegantis, suo iudicio usi scriptoris laus vindicanda erit, qui ubique aptissimos et accuratissimos scriptores consuluerit, inter diversas narrationes optionem instituerit et undecunque congesta in unam narrationem continuo cursu progredientem conformaverit. Tum vero in Diodori iudicio et auctoritate nobis erit acquiescendum, singularum narrationum fontes investigandi spe abiecta¹⁾. Sed post ea, quae superiore capite de primorum quinque librorum natura statuimus, tali opinioni nobis erit diffidendum ac videndum, unde Heynius Diodoro hanc scriptorum copiam comparaverit. Qua quaestione instituta mox intelligimus totum hunc eruditionis fucum Diodoro ex uno Heynii errore conflatum esse eoque dempto subito exstingui. Heynii enim iudicia sive pro certo aliquid affirmavit sive dubitationi locum reliquit non eo

¹⁾ Quae cum ita sint, valde temerarium est, etiam ubi Heynii opinio rata habetur Diodori locum eam solam ob causam, quod a narratione Xenophontea discrepat, Theopompo vindicare et inter eius fragmenta recipere, quod fecit Wichers (fr. 8).

demonstrationis genere, quod unum certissimum est, comprobantur aut probari possunt, ut Diodori verba cum auctorum ab eo adhibitorum verbis comparentur, quippe qui omnes fere amissi sint. Sed ubicunque Diodorus inter notata illa chronologica, quorum permulta litterarum historiam spectare iam supra monuimus, historiarum scriptorum mentionem fecit, ita plerumque, ut aptis locis operum eorum initium et finem notaret, hoc Heynio argumento fuit eos ab illo ad historiam suam componendam adhibitos esse. Qua in re vehementer falsus est. Inspiciamus e. g. hunc Diodori locum XIII. 103: τὰ μὲν οὖν κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν πραχθέντα σχεδὸν ταῦτ' ἐστὶ. Τῶν δὲ συγγραφέων Φίλιστος τὴν πρώτην σύνταξιν τῶν Σικελικῶν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν κατέστρεφεν εἰς τὴν Ἀκράγαντος ἄλωσιν ἐν βίβλοις ἐπὶ διελευσθέν χρόνον ἑτῶν πλείω τῶν ἑκαταοσίων. τῆς δὲ δευτέρας συντάξεως τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ τῆς τῆς προτέρας τελευταίας πεποιήται, γέγραφε δὲ βίβλους τέσσαρας· περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐτελεύτησε Σοφοκλῆς ὁ Σοφίλου ποιητῆς τραγῳδιῶν, . . . Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ τὴν χρονικὴν σύνταξιν πραγματευσάμενος φησὶ καὶ τὸν Εὐριπίδην κατὰ τὸν αὐτὸν ἐνιαυτὸν τελευτῆσαι . . . Hoc loco Philistum non alio consilio afferri quam Sophoclem et Euripidem luculentissimum est. Nam quod in poetae vitae tempus notatur, in historico tempus, quod eius narratio complexa est, in varia utriusque natura positum esse videtur. Ceterum Diodorus si Philistum ut eorum, quae narravit auctorem afferre voluisset, profecto eius historias Siculas non in medias res Graecas intrusisset. Prorsus eodem modo XV. 37 Hermeias citatur. Et sic omnia illa historicorum nomina, quae Heynio documento fuerunt eos a Diodoro esse adhibitos non in ipsa rerum narratione, sed in hac appendice chronologica occurrunt; quas diversas operis Diodorei partes Heynius plane non distinxit. Sed imprimis Heynius Herodoti, Thucydidis, Xenophontis commemoratione, ut sententiam suam accuratius examinaret, commoveri debebat. Eorum enim opera eodem tenore quo ceterorum omnia citantur (XI. 37, XII. 37, XIII. 42, XV. 89); quae cum ad nos pervenerint, ratio, quae iis cum Diodoro intercedat, certissime definiri potest. Jam vero Xenophontem Diodoro nusquam ante oculos fuisse extra omnem dubitationem positum est. Thucydidis et Herodoti ratio non tam manifesta est. Tamen hos

quoque Diodorum ne legisse quidem infra demonstrabimus. Hic tam ipsa illorum notatorum conditione quam Xenophon-
tis exemplo probasse sufficit, Heynium falsa argumentatione
usum Diodoro illum auctorum numerum effecisse. Quos tan-
tum abest, ut adhibitos esse a Diodoro ad historiam scriben-
dam per haec notata probetur, ut ne id quidem constet vidisse
eum ea opera omnia; potest enim bibliothecae alicuius cata-
logo usus esse, quae Augusti aetate Romae exstiterit (cf. I. 4).
Ceterum multa Heynii iudicia tam incertis verbis expressa
sunt, ut iam per se nihil valeant: „non dubito, credere licet,
potest, videri debet.“ His ex arbitrio positis ex eodem arbi-
trio opponere licet: „Dubito, credere non licet, dubito an
possit, videri non debet.“ Talia enim neque probari neque
refutari possunt.

Quare quoniam hac ratione nihil effici vidimus, alia via in-
cedendum est; qua tamen in disputatione eatenus Heynii
exemplum imitaturi sumus, ut etiam nos primum, quid ex
ipsis Diodori testimoniis elici possit, videamus. Iam vero
patet per libros XI—XVI. (intra hos enim quaestionem in-
cludemus, cum inde ab Alexandri historia cum fontibus etiam
ipsa scribendi ratio mutata sit) omissis omnibus illis notatis
chronologicis ad rem non pertinentibus tres scriptores ab ipso
Diodoro eo consilio nominari, ut ipsum eos inspexisse dubi-
tari nequeat, Ephorum, Timaeum, Apollodorum¹⁾.
Apollodori, quod equidem sciam, tribus locis mentio iniicitur:
I. 5, ubi eius auctoritate usus Diodorus inter bellum Troia-
num et Heraclidarum reditum octoginta annos intercessisse
ponit; tum XIII. 103 et 108, altero loco narratione de Euri-
pidis morte, altero de Antimachi poetae ἀμνη ex eo hausta.
Utroque igitur loco in appendice illa chronologica, de qua
supra disputavimus, adhibitus est Apollodorus et etiam in
prima illa commemoratione non rei alicuius sed temporis de-
finiendi auctor est. Atque ipsum Apollodori opus nihil nisi
talia notata chronologica in memoriae usum singulis versibus

¹⁾ Ut accuratius fines statuamus, non ultra XVI. 76 progrediemur
in disputatione. Hoc enim capite finiri Ephori opus ipse Diodorus in-
dicat et continuatum esse a Diyllo Atheniensi. Quem, si coniecturis
indulgere vellemus, hinc in Ephori locum succedere contenderemus.

breviter expressa continuisse videtur. Ita enim a Scymno
Chio v. 24 sqq. describitur:

ἐτη δὲ τετταράκοντα πρὸς τοῖς χιλίοις
ὠρισμένως ἐξέθετο καταριθμούμενος
πόλεων ἀλώσεις, ἐκτοπισμοὺς στρατοπέδων,
μεταναστάσεις ἐθνῶν, στρατείας βαρβάρων,
ἐφόδους περαιώσεις τε ναυτικῶν στόλων,
θέσεις ἀγώνων, συμμαχίας, σπονδὰς, μάχας,
πράξεις βασιλέων, ἐπιφανῶν ἀνδρῶν βίους,
φυγὰς, στρατείας, καταλύσεις τυραννίδων,
πάντων ἐπιτομὴν τῶν χρόνων εἰρημένων¹⁾.

Quae cum ita sint, cum ex illarum commemorationum
ratione, tum ex hac libri Apollodori natura sequi videtur
eum non in ipsa rerum narratione, sed modo aut in temporibus
definiendis aut in notatis chronologicis describendis esse ad-
hibendum. Quae num, quod equidem non negaverim, praeter
res Romanas vel tota vel maximam partem ex eo fluxerint,
vix unquam statui poterit²⁾. Neque hoc in disputationem
nostram cadit. Sufficit enim probasse Apollodorum ab ipsa
Diodori narratione (nam semper duae illae operis partes accu-
ratissime distinguendae sunt) alienum esse. Itaque si partem
illam potiore solam spectamus ex ingenti illa Heynii copia
duo restant nomina Timaei et Ephori. Ipsam autem nar-
rationem iterum in duas partes discedere, alteram res Siculas,
alteram res Graecas continentem iam supra monuimus. Iam
vero Timaeum, qui natione Siculus, Siciliae tantum historiam
scripsit³⁾, non nisi in rebus Siculis narrandis adhibendum esse

¹⁾ Coniectura in edit. Didot. prolegg. proposita, chronica his verbis
descripta epitomen tantum fuisse alius maioris Apollodori operis, firmo
fundamento non nititur.

²⁾ Unum locum inveni (XI. 78), qui in narratione de Deucetio
Sicilorum rege cum Apollodori fragmento concinit (cf. fr. in edit.
Didot.). Quae quamquam ad res Siculas pertinet, tamen et dictione
et loco a ceteris similis argumenti diversa est et manifeste appendicis,
non ipsius narrationis partem efficit. Exhibetur enim in anni fine atque
in mediis rebus Graecis. Atque in dicendi genere nescio an recte poë-
ticum quandam colorem Apollodoream originem arguentem deprehen-
disse mihi videar.

³⁾ Certe aliud eius opus χρονικά πράξια, quo ephorum Lacedae-

patet. Ceterum etiam eo hoc affirmatur, quod in hac sola narrationis parte Timaei nomen citatum legimus, in hac autem saepissime¹⁾. In rebus Graecis igitur, propter quas totam hanc disputationem instituimus, in solo Ephori nomine consistendum est.

§. III.

Solum Ephorum Diodoro inde a libro XI. ad XVI. rerum Graecarum auctorem fuisse demonstratur.

Eadem via, qua Heynius, procedentes ad contrarium finem pervenimus. Heynius enim ab ipso Diodoro permultos narrationum suarum fontes nominatos esse credidit, nos unius tantum rerum Graecarum auctoris nomen occurrere demonstravimus. Eo autem in vera operis Diodorei natura perspicienda fere nihil profecimus. Heynii enim argumentatione labefactata ipsam eius opinionem minime refutavimus. Id tantum certum reddidimus externa indicia non exstare, quae in alterutram partem concedere nos cogant. Nam quod Ephorus solus nominatur, inde Ephorum solum adhibitum esse minime sequitur. Ex primae autem partis natura de toto opere iudicare temerarium est. Itaque iis, quae obstare videbantur, argumentis superiore capite remotis, hoc capite nova disputatione instituta probaturi sumus Ephorum solum Diodoro rerum Graecarum auctorem fuisse.

Haec enim sententia tantum abest, ut iis locis affirmetur, quibus Ephori nomen occurrit²⁾, ut his contrarium probari

moniorum annos cum regum temporibus Atheniensiumque archontes et Argivorum sacerdotia cum Olympionicis contulerat (Polyb. XII. 12, 1), non historiam, sed temporum computationem continuisse videtur. Cf. Vossius de Hist. Graec. ed. Westermann, p. 118. Hunc librum a Diodoro ad materiem secundum annos digerendam adhibitum esse nihil dubito, qua de re infra disputabitur. Hoc autem loco, unde ipsam materiem hausert, quaeritur.

¹⁾ His enim locis praeter primos quinque libros Timaeum citatum inveni: XIII. 54. 60. 80. 82. 83. 85. 90. 108. 109. XIV. 54. XX. 89. XXI. ecl. 12. Excerpta de virt. et vit. p. 560.

²⁾ Ex iis locis, quibus Ephori nomen exstat, hi ad res Siculas pertinent: XIII. 54. 60. 80. XIV. 54, quibus omnibus in copiarum nume-

videri possit. Nam verisimillimum videtur Diodorum Ephorum nominasse, quoties ab eo fonte, quem in reliquis secutus est discedens huius auctoritate uti maluit. Si enim omnia ex Ephoro fluxissent, cur singulis rebus eius nomen appositum esset? Accedit, quod his expressis verbis XIV. 11. XV. 60 Ephori narratio aliorum narrationi opponitur, ita, ut certe id extra omnem dubitationem positum esse videatur, Diodorum alios quoque auctores inspexisse. Sed equidem in hos quoque locos illud Heynii cadere censeo Diodorum Ephori verbis aliorum auctoritate usum esse. Ephorum enim ipsum his locis de Alcibiadis et de Jasonis morte primum vulgarem narrationem exhibuisse, tum suam adiecisse et argumentis firmasse puto. Simili ratione ceteros locos ita explicaverim, ut Ephorum his in rebus aut dissensum suum a ceterorum narratione aut rerum, quas traditurus erat, novitatem¹⁾ adnotasse ponam eamque ob causam a Diodoro expressis verbis auctorem indicatum esse, quod in plerisque, ubi Ephorum cum vulgari narratione consentire arbitratus est, ille non fecit.

Quamquam, quid contra hanc explicationem proferri possit, non video, tamen his locis etiam nostram sententiam non firmari iterum iterumque concedo. Probasse sufficit eos in neutram partem valere. Jam vero eos locos, qui auctore non nominato cum Ephori fragmentis congruunt, maximi momenti esse elucet. Nonnulla huius contentus indicia vel in ea operis Diodorei parte deprehendimus, cuius ipsius quoque fragmenta tantum supersunt. Veluti Ephorum ab aliis dissentientem Anacharsin inter septem Graeciae sapientes numerasse omnesque praeter Thalem ad Croesum convenientes fecisse a compluribus traditum accepimus: fr. 76. 78 et 101. Jam cum his mire consentit narratio Diodorea (Exc. Vatic. N. XXVI. p. 23), Croesum Graeciae sapientes ad se

ris definiendis cum Timaeo comparatur. In nostram autem quaestionem cadunt hi loci: XII. 41. XIII. 41. XIV. 11. 22. XV. 60.

¹⁾ Hoc fortasse in locum XIII. 41 cadit, quo Diodorus anathematis inscriptionem tradidit eamque se ex Ephoro exscripsisse notavit. Hoc loco puto Ephorus se hanc inscriptionem primum in publicum edidisse iactaverat, quod per Strabonis locum (Eph. fr. 2) etiam verisimilius fit, qui eum documentorum, μαρτυρίων, traditione excelluisse ait.

convocasse¹⁾, quorum primus nominatur Anacharsis. Accedit quod Diogenes Laërtius affirmat Ephorum solum hunc conventum Sardibus factum tradidisse, aliis alia narrantibus, ita, ut Diodorus narrationem suam aliunde quam ex Ephoro haurire non potuisse videatur²⁾. (Herodoti narratio directe opposita esse videtur: I. 29: ἀπικνέονται ἐς Σάρδεις οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταὶ ὡς ἕκαστος αὐτέων ἀπικνέοιτο). Tum Diodori fragmentum (Exc. de virt. et vit. p. 553) de Eurybato Ephesio, qui Croesum Cyro prodidit, cum Ephori fragmento 100 manifeste concinit, (praeter quod Eurybati nomen in Ephori fragmento rectius ut videtur Eurybates scriptum legitur). Jam vero, ubi ad eos Diodori libros, qui toti ad nos pervenerunt, accedimus, primum patet Diodorum in narratione eorum, quae dum Xerxes Graeciam invadit in Sicilia evenere et in coniunctione harum rerum cum rebus in Graecia gestis prorsus ab Herodoto discrepare. Secundum hunc Gelon Graecis auxilium petentibus eam ob causam negat, quia eum ducem eligere recusabant; itaque pugna, quam mox contra Carthaginienses commisit, nullo modo cum bellis Persicis cohaeret. Additur Siculorum opinio, quam Herodotus non probare videtur, Gelonem, cum postea consilio mutato Graecis auxilio venire constituisset, per Carthaginiensium impetum esse prohibitum. Ceterum etiam sic constat Herodotum caussarum nexum inter Persarum et Carthaginiensium bella ne indicasse quidem. Contraria est Diodori ratio, XI. 20: Hic enim refert pactos esse Carthaginienses cum Persis,

¹⁾ Monendum est Nr. XVII. p. 14 eandem narrationem paullulum variatam repeti.

²⁾ Ceterum in his multa restant illustranda. Multa inter Excerpta Vaticana cognitionem habent cum Diogene Laërtio, multi versus in utroque exstant. Nonnulla etiam in Plutarchi Solone occurrunt. Videntur de his rebus certae fabulae in omnium ore versatae fuisse, quae a scriptoribus in singulis dissentientibus in summa narrationis concinentibus repetebantur. Huc pertinet, quod duo exstant Diodori loci (Exc. Vatic. XVIII. et Fr. p. 26 ed. Tauchn.) qui sibi ipsi contradicunt. Hos locos ad duas diversas relationes de aeneo tripode a piscatoribus Messeniis invento circumlatas referendos esse ex Diogene Laërtio patet. Ephorum et ad eius exemplum Diodorum has diversas narrationes contulisse crediderim.

quo tempore illi Graeciam invaderent, eodem se Graecos Siciliam incolentes aggressuros esse. De iis, quae inter Gelonem et Graecos acta erant, quid tradiderit Diodorus, non in aperto est, quia liber X. quo haec continebantur, non exstat (cf. XI. 1). Sed primis capituli 21 verbis significari puto Diodorum eam narrationem exhibuisse, quam inter Siculos circumferri Herodotus tradidit¹⁾. In tota re autem Diodorum Ephoro auctore usum esse patet ex fr. 111: ἱστορεῖ γὰρ Ἐφορος τοιοῦτον ὅτι παρασκευαζομένου Ξέρξου τὸν ἐπὶ τῇ Ἑλλάδι στόλον πρέσβεις παραγενέσθαι πρὸς Γέλωνα τὸν τύραννον ἱκετεύοντας εἰς τὸν τῶν Ἑλλήνων σύλλογον ἐλθεῖν ἐκ δὲ Περσῶν καὶ Φοινίκων πρέσβεις πρὸς Καρχηδονίους προστάσσοντας ὡς πλεῖστον δέοι στόλον εἰς Σικελίαν τε βαδίζειν . . . Ἀμφοτέρων δὲ τόνδε τὸν λόγον ὑποδεξαμένων καὶ τοῦ μὲν Γέλωνος συμμαχεῖσθαι τοῖς Ἕλλησι προθυμουμένου, τῶν δὲ Καρχηδονίων ἐτοίμων ὄντων συμπράξαι τῷ Ξέρξῃ Γέλωνα . . . κατακοῦσαι στόλον Καρχηδονίων πλεόντα ἐπὶ Σικελίαν καὶ διαμαχεσάμενον οὐ μόνον τοὺς Σικελιώτας ἐλευθερῶσαι, ἀλλὰ καὶ τὴν Ἑλλάδα σύμψασαν²⁾. Ceterum Herodoti narrationem propius ad rerum veritatem accedere nullus dubito. Nam quae Diodorus refert, pragmaticam illam rationem sapiunt, qua ea quoque, in quibus divino quasi nutu factis homines nullam partem habent, ex humana computatione humanisque consiliis profecta esse creduntur; quo more Ephorum saepius usum esse mox videbimus³⁾. — Tum Diod. XI. 54

¹⁾ Ὁ δὲ Γέλων καὶ αὐτὸς ἡτοιμακῶς ἦν τὴν δύναμιν ποδόμενος δὲ etc. Gelon igitur copias instruxerat antequam de Carthaginiensium invasione certior factus erat, quod in quem alium finem fecerit, nisi ut Graecis auxilio veniret, non video.

²⁾ Numerorum dissensu non est quod offendamur; hos Diodorus in rebus Siculis omnes a Timaeo mutuatus esse videtur. Ita enim in his conscribendis Diodorum egisse puto, ut narrationis Ephoreae flum secutus in singulis Timaeum adhiberet. Quam sententiam deinde pluribus exponemus.

³⁾ Alius etiam Diodori locus V. 52 de Naxo insula cum Ephori fr. 113 congruus hic notandus est. Etiam XI. 27 proferrem, quo capite locus de Aeginetis post pugnam Salaminiam virtutis praemiis praeditis (πόλις μὲν ἀριστεύσαι τῶν Ἀλγινητῶν) cum Ephori fr. 112 consentit, nisi huius narrationis etiam Herodotus (VIII. 98) fons esse posset. Remittendus igitur est hic locus ad disputationem de ratione inter Diodorum, Ephorum, Herodotum intercedente instituendam.

refertur Themistoclem Pausania adhortante, ut proditiōnis, quam moliebatur, particeps fieret, negasse se id facturum. Idem Plutarcho teste apud Ephorum legebatur (fr. 114); ac quamquam narratio a diversis scriptoribus suo cuiusque more relata est, tamen uterque vel in singulis verbis concinit¹⁾. — Diod. XI. 57 narrat Themistoclem ad Xerxem se contulisse. Secundum Thucydidem (I. 137) ille non Xerxem adiit, sed eius filium Artaxerxem. Jam vero e Plutarcho cognoscimus Ephorum primum ita retulisse, ut apud Diodorum legimus, fr. 115. Hic igitur Diodoro a Thucydide dissentienti auctor fuit. — XI. 60 et 61 narrationem duplicis victoriae a Graecis ad Eurymedontem fluvium reportatae ab Ephoro pendere manifestum est. Dux classis Persarum nominatur Tithraustes, copiarum pedestrium Pherdates, naves numerantur trecentae quadraginta. Haec omnia Ephorum a ceteris discrepantem tradidisse Plutarchus nos docet fr. 116. Diversas enim Phanodemi et Callisthenis relationes notans: Ἐφορος μὲν οὖν αἰτ, Τηθραύστην φησὶ τῶν βασιλικῶν νεῶν ἄρχειν καὶ τοῦ πελοῦ Φερενδότην; deinde: ναυσὶν, ὡς ἰστορεῖ Ἐφορος, πεντήκοντα καὶ τριακσίαις. (Numerum decem navibus differre in tanta Diodori negligentia non urgendum est. Contra Phanodemus sexcentas Persarum naves fuisse dixerat). — Diod. XII. 28 in narranda Periclis expeditione contra Samum insulam facta dicit: κατεμάχετο δὲ καὶ μηχανὰς πρῶτος τῶν πρὸ αὐτοῦ. . . Ἀρτέμωνος τοῦ Κλαζομενίου κατασκευάσαντος. Jam cf. Plutarchum in Pericle (fr. 117): Ἐφορος δὲ καὶ μηχαναῖς χρῆσασθαι τὸν Περικλέα (φησὶ) τὴν καινότητα θαυμάσαντα, Ἀρτέμωνος τοῦ μηχανικοῦ παρῶτος. — XII. 38—41 belli Peloponnesiaci causae exponuntur Ephori auctoritate ab ipso Diodoro citata, de quo loco supra diximus. Eodem pertinet XIII. 41 inscriptio ex Ephori opere transcripta. Sequuntur tres loci ad res Siculas pertinentes XIII. 54, 60, 80, quibus Ephori et Timaei numeri conferuntur, ita quidem, ut Ephorus ubique maiorem numerum exhibeat. — Tum locus XIV. 9 de urbe Entella Ephori fr. 124

¹⁾ Plut.: οὐκ ἐπέσθη οὐδὲ προσεδέξατο κοινωνουμένου καὶ παρακαλεσθέντος αὐτὸν ἐπὶ τὰς ἐλπίδας. Diod.: καὶ παρετάξατο καὶ ἐκινῆσεν τῆς προόδου, ὅδε Θεμιστοκλῆς οὐτε προσεδέξατο εἰς.

respondet. — Item XIV. 11 Ephoro auctore nominato mors Alcibiadis narratur, quem locum etiam iam supra attigimus. — Diod. XIV. 13 de clandestinis Lysandri conatibus refertur, quibus antiqua Lacedaemonis instituta evertere studuit. Totam hanc narrationem ex Ephoro fluxisse certissimum est. Plutarchus enim in Lysandro (fr. 127) Ephori auctoritate usus eadem tradidit¹⁾. — XIV. 22 Ephorus auctor est Artaxerxi exercitum quadringentorum milium fuisse, quo loco simul Diodori negligentiam probari supra monuimus. — XIV. 54 Ephorus iterum in rebus Siculis eadem ratione, qua supra, cum Timaeo confertur. — XIV. 98 legitur: Ἀμαθούσιοι 82 καὶ Σόλιοι καὶ Κιτιεῖς ἀντέχοντες τῷ πολέμῳ etc. quocum loco conferendum est Ephori fr. 134 ex Stephano: Ἐφορος ἐνεακαίδεκάτῃ Ἀμαθούσιοι δὲ καὶ Σόλιοι καὶ Ὠτιεῖς ἀντέχοντες ἐπὶ τῷ πολέμῳ. (Ultimum alterius loci nomen ex altero esse corrigendum recte vidit Marcius). — Diod. XV. 5 legimus: Λακεδαιμόνιοι . . . πρέσβεις ἀποστείλαντες πρὸς τὴν Μαντινείαν πρὸς ἑταρτὸν τῶν μὲν τεῖχη καθελεῖν, αὐτοὺς δὲ μετοικῆσαι πάντας εἰς τὰς ἀρχαίας πέντε κώμας. Huc pertinet Ephori fr. 138 ex Harpocrate: Ἐφορος φησὶν ὅτι εἰς πέντε κώμας τὴν Μαντινείαν διέφυγον τὸν πόλιν Λακεδαιμόνιοι. Xenophon enim (Hell. V. 2, 7) aliter tradidit: διωκίσθη δὲ ἡ Μαντινεία τετραχῆ καθάπερ τὸ ἀρχαῖον ἕκον. — Diod. XV. 13 locus de colonia a Parisiis in Adriae insulam Pharum ducta respondet Ephori fr. 150. — Diod. XV. 32 Laecedaemoniorum mora quingentis viris constituisse dicitur; iam cf. Plutarchum in Pelopida (fr. 140): τὴν δὲ μόραν Ἐφορος μὲν ἄνδρας εἶναι πεντακισίους, Καλλιस्थένης δ' ἑπτακισίους, ἄλλοι δὲ τινες ἐνακισίους²⁾. — Etiam Helices et Burae terrae motu eversarum (quam rem Diodorus XV, 48

¹⁾ Hoc loco etiam Sievers (Geschichte Griechenlands p. 28 et 29, Adn. 25) Diodori cognitionem cum Ephoro perspexit. Quod si per cetera omnia secutus esset, de multis, quae tantum suspicatus est, certissima iudicia facere potuisset. —

²⁾ Simul notandum est hanc computationem, quae cum non ad unum aliquod eventum sed ad institutum per compluria saecula vigens pertinet quovis alio loco eodem iure exhiberi possit, a Plutarcho et a Diodoro in eodem rerum nexu edi, in Lacedaemoniorum expeditionibus in Boeotiam factis enarrandis, quo Diodorum ex eodem cum Plutarcho fonte ex Ephoro hausisse etiam certius redditur. —

narrat) ab Ephoro mentionem factam fuisse docemur frgto. 142 Senecae quaestionibus naturalibus desumpto. — XV. 60 de Jasonis tyranni morte iterum Ephori auctoritas aliis confertur et anteponitur. Inde non sequi Diodorum ipsum alios scriptores inspexisse sed in his quoque eum Ephorum tantum exscripsisse supra nonuimus¹). — Diod. XV. 75 loco de altera Epaminondae expeditione in Peloponnesum facta respondet Ephori fr. 146. — Diod. XVI. 16, quae de Philisti morte referuntur, concinunt cum Ephori frgto 152, item XVI. 35 locus de invasione ab Onomarcho bello sacro in Boeotiam facta cum Ephori frgto 135. — Denique XVI. 64 cum narratione de iis, quae post spoliatum templum Delphicum evenerunt, accuratissime vel in singulis rebus Ephori fr. 155 consentit, veluti in iis, quae de aureis Helenae et Eriphylae monilibus ab utroque traduntur.

Praecedentibus demonstravimus, ubicunque in tanta fragmentorum penuria Ephorum cum Diodoro conferre licet, per multa intimae cognationis indicia exstare ita natae, ut Ephorus non ad comparationem cum aliis auctoribus faciendam adhibitus sit, sed ipsa Diodoreae narrationis fundamenta efficiat. Nondum tamen totam rem confecisse mihi videor. Superest enim, ut duplici disputatione probemus, primum ne unum quidem Ephori fragmentum Diodori narrationi contrarium esse, tum ne unum quidem alius scriptoris locum ita cum Diodoro congruere, ut non possimus, quin eum ab ipso Diodoro inspectum et repetitum esse statuamus.

Itaque primum Ephori fragmenta hoc consilio inde a fr. 110 perlustrabimus; nam hinc demum cum integro Diodori opere comparari possunt; priores libri mittendi sunt propterea quod fragmenta Diodori et Ephori ad eandem rem pertinentia nulla reperiuntur, in quibus sit aliqua discrepantia. Inter sequentia igitur quadraginta novem fragmenta (unum enim fr. 143 omittendum est, quia non rem aliquam tangit sed commune de Ephoro iudicium continet) triginta cum Diodori textu concinunt, inter quae et ea numeravimus, quae nonnisi nomina

¹) Ἐδολοφονήθη ὑπὸ τινῶν ἐπτὰ νεανίσκων συνομοσαμένων δόξης ἕνεκα. A Valerio Maximo IX. 10, 2 haec res accuratius explicatur.

continent a Diodoro etiam commemorata et ea, quae ex ipso Diodoro in hanc collectionem recepta sunt. Undeviginti nullo modo cum Diodori verbis cohaerent. Inter haec ea, quae ad Siciliam pertinent, statim excludenda sunt, nam res Siculas ex Ephoro fluxisse non contendimus. Cetera quoque, quippe quae aliena quidem a Diodori narratione, sed ei minime opposita sint, nihil molestiae nobis praebent. Nam Diodorus non integrum Ephori opus transscripsit, sed potiora excerpit itaque omnia ea, quae in illis fragmentis traduntur, quae etiam pleraque nomina tantum continent, eum omisisse, quis miretur? Sed unum restat, quod in re gravissima Diodori narrationi plane contradicere videtur. In fr. 133 enim de proelio prope Corinthum commisso legitur: *παρὰ Ἐφόρῳ ἱστορεῖται ὡς ἐνίκησαν τοὺς Ἀθηναίους οἱ Λακεδαιμόνιοι σφόδρα*. Diodorus autem XIV. 83 refert anciditi Marte pugnatum esse: *ἐκατέρων ἐπρωτέρως τὰ μέρη τοῦ στρατεύματος*. Sed adhibita Xenophontis narratione, qui (Hell. IV. 2, 20) hoc proelium copiosius descripsit, quae contraria videntur esse, facillime conciliantur. Ipsi enim Spartani et Athenienses partes exercituum pugnantium efficiunt; ac Xenophon narrat eum fuisse proelii eventum, ut sociis Spartanorum omnibus fere ab Atheniensium sociis superatis ipsi Spartani Athenienses sibi oppositos prorsus devicerint. Ephori fragmentum igitur ita intelligendum est, ut non ipsam proelii summam, sed unam eius partem significet, reliquis omnibus perditis; contra Diodori verba ad universam pugnam referenda sunt; atque hoc sensu utroque loco coniuncto non modo omnis discrepantia tollitur, sed eadem fere existit proelii ratio, ac quam Xenophon exhibuit. Quae cum ita sint, per ea, quae praecesserunt, constat eorum Ephori fragmentorum, quae ad hanc comparationem adhiberi possunt, maximam partem cum Diodoro congruere, nullum exstare Diodoreae narrationi repugnans.

Altero loco in eos auctores inquirendum est, quos Diodorus praeter Ephorum adhibere potuerit et Heynio teste re vera adhibuit. Sed inter omnes quos Heynius enumeravit solius Theopompi tot fragmenta exstant, ut aliquid effici possit. Ceterorum plerorumque praeter nomen omnia deperdita sunt itaque quae iis cum Diodoro ratio intercesserit nunquam poterit dignosci. Hoc vehementer esset dolendum, nisi constaret

iam Diodori aetate ita Theopompum cum Ephoro ceteros omnes celebritate superasse, ut hi fere soli post Herodotum et Thucydidem et Xenophontem iique coniunctim saepissime nominarentur¹⁾. Quare si constat Theopompum non adhibitum esse a Diodoro, magis etiam credibile erit ceteros scriptores tanto obscuriores ab eo non esse inspectos. Illud autem facillime constabit. Praeter duos enim locos, quos Wichers sine iusta caussa ex ipso Diodoro inter Theopompi fragmenta recepit, nimirum statuens id ipsum, quod probandum erat, Diodorum permulta ex Theopompo hausisse (fr. 8 et 184)²⁾ inter omnia Theopompi fragmenta ne unum quidem reperitur neque Hellenicorum neque, quae admodum frequentia sunt, Philippicorum cum Diodoro certa cognatione cohaerens. Nam non recte Wichers tria eius generis invenisse sibi visus est, primum fr. 111³⁾, quo belli ab Evagora contra Persarum regem gesti mentio fit. Sane a Diodoro XIV. 98 et XV. 2. 5. 8.—11 eadem res narratur, quas Photius illo loco summam ex Theopompo excripto tradidit. Sed hoc eo minus probat, quod certissimo testimonio scimus Ephorum eadem retulisse. Polybius enim (XII. 25 f) dicit de Ephoro: *ὅταν μὲν πρὸς τὰς περὶ Κύπρον ναυμαχίας καὶ τὰς περὶ Κνίδον ἀνεΐση τις, αἷς ἐχρήσαντο οἱ βασιλέως στρατηγοὶ πρὸς Εὐαγόραν τὸν Σαλαμίνιον . . . θαυμάζειν πάρεστι τὸν συγγραφέα*. Potius, si accuratius Diodorum cum Theopompo contuleris, eos multum discrepare apparet. Diodorus enim narrat discordasse inter se Persarum duces Orontem et Tiribazum et hunc ab illo coram rege accusatum esse. Theopompo autem teste Orontes cum adversario Evagora contra Tiribazum conspiravit neque Orontes Tiribazi accusator exstitit sed *Εὐαγόρας μετ' Ὀρόντου*. Videmus apud

¹⁾ cf. Quintil. X. 1, 74, alios. Quid quod ex Ciceronis Bruto c. 17 intelligimus tum ita praelatum fuisse Theopompum, ut ipsi Thucydidi offerret?

²⁾ Ita enim Wichers argumentatur: „Haec ex Theopompo desumpta esse ipsa narratio a Xenophontea multum discrepans demonstrat.“ Sed eodem iure toti fere Diodori libri inter Theopompi fragmenta recipi poterant.

³⁾ De hoc loco iam Heynius (de font. p. 111) idem sensit.

Theopompum Evagoram prorsus alias partes agere a Diodoro ignoratas. Secundo loco Wichers Diod. XVI. 70 ex Theopompi fr. 216 fluxisse putat; ac re vera ab utroque prorsus eadem referuntur. Sed non video, cur Ephorum quoque idem narrasse dubitandum sit; verisimillimum est utrumque ea tradidisse, quae in Graecia inter omnes de Dionysii iunioris fuga circumferebantur et huic traditioni Timaeum Siculum, qui in patria alia compererat, contradicere. Denique fr. 249 quomodo cum Diod. XVI. 54 concinat, intelligere mihi non contigit. Ceterum Diodorum Theopompi Hellenica non adhibuisse alio quoque argumento verisimile fit, Herodoti et Thucydides ratione habita. Theopompus enim, ubi finierat Thucydides, ibi Hellenica sua exorsus erat, ita ut utrumque opus veluti unum historiarum corpus effecerit. Itaque Diodorum aut utrumque aut neutrum secutum esse consentaneum est. Postremo igitur ratio inter Diodorum et Thucydidem intercedens examinanda est, cui cur Herodotum adiungamus ipsa res docebit. Haec quaestio, quam etiam eam ob causam huc reposuimus, quia Ephori scribendi rationem perspicendi et sic ad novam disputationem de operis Ephorei natura instituendam transeundi occasionem praebet, eo valde impedita est, quod in rebus ab Herodoto et Thucydide traditis, quae quae erant celebritate in omnium ore circumferebantur procul dubio maior quidem scriptorum dissensus omnino non existere potuit. Itaque si quae huius generis in duobus scriptoribus congruunt, utrum ea a communi omnium consensu an ab ipsis illis auctoribus profecta sint, usque dubitandum erit. Ac quid de Herodoto statuendum sit, eo difficilius est explorare, quia hic maximam partem fragmenta tantum Diodori in comparationem vocari possunt. Sed esse quaedam in Diodoro, quae ab illis ipsis derivanda sint, non negaverim. Veluti ad Herodotum pertinent Exc. Vatic. XVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXII. (Angelo Mai in editione sua respondentibus Herodoti locos indicavit). Frg. (ed. Tauchn.) p. 28 cf. Herod. I. 41—45. Diod. XI. 28 cf. Herod. VIII. 144. Diod. XI. 33 cf. Herod. VII. 228. Diod. XI. 34 cf. Herod. IX. 90. 96. 98. Diod. XI. 35 cf. Herod. IX. 100. Diod. XI. 36 cf. Herod. IX. 103. 104. Diod. XI. 37. cf. Herod. IX. 106. — Nihilominus a Diodoro Herodotum non inspectum esse credendum

est. Uno enim tenore convenientia et discrepantia proferuntur. De diversa rerum a Gelone gestarum narratione iam supra diximus. Quae Diod. XI. 27 de virtutis praemiis post pugnam Salaminiam Aeginetis tributis narrat, cum Herodoto VIII. 93 conveniunt. Quae sequuntur de Themistocle a Spartanis maiori etiam praemio affecto eamque ob causam ab imperio remoto ab Herodoto prorsus aliena sunt. Item in numeris saepissime ab Herodoto discrepat. Quod ad Thucydidem attinet, non modo singula multa ex eo fluxisse, sed totum rerum ordinem in explicanda belli Peloponnesiaci historia ad eius exemplum esse descriptum vel levi comparatione intelligitur. Veluti Diod. XII. 39. cf. Thucyd. I. 139. Diod. XII. 40. cf. Th. II. 13. D. XII. 61. cf. Th. IV. 3. D. XII. 63. cf. Th. IV. 38. 41. D. XII. 73. cf. Th. V. 1. 2. 3 etc. Nihilominus Thucydidem a Diodoro non inspectum esse certissimo argumento demonstrari potest. XII. 30—34 enim, quae de Corcyraeorum et Potideatarum rebus bellum Peloponnesiacum praecedentibus referuntur, manifeste a Thucydide petita sunt, cum cuius narratione accuratissime concinunt. Nihilominus c. 37 demum legimus: *Θουκυδίδης δὲ ὁ Ἀθηναῖος τὴν ἱστορίαν ἐντεῦθεν ἀρχάμενος* etc. quasi Thucydides res inde ab I. 67 scribere coepisset. Quo luce clarius fit Diodorum ipsum ignorasse se superioribus capitibus Thucydidea tradidisse. Aliud argumentum accedit; XII. 40 enim ad verbum fere cum Thucydide II. 13 convenit. Nam hoc loco Diodorus Periclem Athenienses, ut bellum strenuo animo inciperent, cohortantem facit eademque auxilia enumerantem, quae idem Pericles apud Thucydidem computat, annua sociorum tributa, thesaurum a Delo insula in Acropolin translatum, spolia Medica, aurum deae Minervae, civium et navium numerum. In tanta concordia, quod pauci quidam numeri paullulum discrepant, non est magni momenti. Nihilominus ipse Diodorus sequentis capituli initio se haec ex Ephoro transcripsisse confitetur. Quare satis apparet Diodorum ea, quae Herodotea et Thucydidea exhibet non ab ipsis his auctoribus sed ab Ephoro tradita accepisse ita quidem, ut unde is sua sumperit nihil curaverit; id quod etiam in Ctesia pari ratione factum esse supra probavimus. Contra sententiam tot argumentis innixam neque I. 39 fin. aliquid efficit, quo loco de

Ephori fide dubitatur, neque quem iam supra attulimus locum de triginta annorum labore. Ceterum quomodo Diodorus tam longum temporis spatium consumere potuerit deinde paucis monebitur. Jam vero satis demonstrasse mihi videor, quod demonstrandum hoc capite suscepi¹⁾. Quid de sequentibus libris iudicandum sit, investigare ab hoc loco alienum est. Id tantum ex praecedentis disputationis summa concludere licet Diodorum, qui Persarum res non a Ctesia, bella Medica non ab Herodoto, bellum Peloponnesiacum non a Thucydide petiit, sed cuncta ab Ephoro, non optimos fontes semper consuluisse, sed eos, qui proxime ad historiae universalis formam, in quam opus suum redigere volebat, accedebant. Sed iam his missis, postquam in Diodori locum Ephorus successit, nova disputatio instituenda est:

§. IV.

De Ephori fide.

Quam quaestionem extrema superioris capituli parte, qua Ephorum Thucydide et Herodoto vidimus usum esse, commode praeparavimus²⁾. Quodsi congerimus, quae de Ephori virtutibus et vitis et per veterum testimonia cognita habemus et quae per aetatem qua vixit, per doctrinam, qua imbutus erat per se patent, tum non modo Diodorum Ephorea tradere novo argumento probabitur, sed etiam, quod pretium eius narrationibus assignandum sit, certa ratione definiri poterit. Primum igitur, quod ad fontes attinet, ex quibus Ephorus hausit: magnae rerum ab eo narratarum partis ipse fuit aequalis; in praecedentibus autem optima ei auxilia in promptu erant, quippe qui Athenis, quas Pericles Thucydideus *παίδευσιν τῆς Ἑλλάδος* vocat, in litteras incumberet, qui tempore viveret,

¹⁾ Memoratu dignum videtur Diodorum in libri V. proemio, quo in universum de quibusdam historiae scribendi generibus disputat, etiam alia nulla exempla afferre atque iterum iterumque Ephorum et Timaeum eundemque libro I. ubi Nili incrementa tractat, quo loco magnam doctrinam prae se fert primam quidem c. 37 dicere: *οἱ δὲ περὶ τὸν Ἐφορον καὶ Θεόπομπον*, deinde autem Ephori tantum opinionem proferre, neglecto Theopompo.

²⁾ Cf. Diodot prolegg. p. LXI. sqq.

quod nulla rerum conversione ab antiquis Graeciae rebus distinctam erat, cum instituta illa et rerum publicarum conditiones adhuc durarent, quorum origines, incrementa, flos ei investiganda erant.

Ac re vera haec diligenter eum adhibuisse et indicia comprobant adhuc exstantia.¹⁾ et veterum testimonia certis verbis expressa²⁾. Videmus igitur Ephorum tam ab auxiliis, quam a diligentia summa fide dignum esse. Tanto plura contra eius ingenium, contra ipsam eius historiam scribendi rationem dici poterunt. Ac primum, quae de eius aetate et doctrina in universum valent, illustrabimus. Nam cum omnino litterae a saeculo pendeant, tum maxime historia; neque id in ullo populo manifestius est, quam in Graecis. Non erat enim in Graecis illud, ut arte vere historica de aliis temporibus iuste iudicarent et eorum causas, mores, instituta recte aestimarent; dona praesentis horae laeti capientes praeterita non praecipuo quodam studio curare soliti erant. Itaque labentibus demum rebus et laeto vitae aspectu evanescente a praesentium rerum narratione aversi gentis suae antiquitates investigandi animum ceperunt, i. e. eo ipso tempore, quo etiam ars historica inclinare coeperat. Atque ipse Ephorus inter primos fuit, qui hanc viam ingressi totam Graeciae historiam ad propriae aetatis modum metirentur.

Si autem de illius aetatis natura quaerimus, primum videmus periisse communes illas leges in ipsa hominum conscientia positas (*ἀγάφα νόμιμα*), quarum in universa Graecorum vita summa vis fuerat. Magna illa Atheniensium et Dorien- sium diversitas per bellum Peloponnesiacum fere evanuerat; Sparta enim antiquorum Doricorum morum augusta custos ita demum vicerat, ut a se ipsa deficeret et victis similis fieret. Quae leges antea civium vitam et mores rexe- rant, in earum locum successerant factionum cupiditates,

¹⁾ Primum huc pertinet, quod ut supra vidimus ex celeberrimis auctoribus Herodoto et Thucydide hausit, quod ut item monuimus in rebus Persicis Ctesiam adhibuit et sic ubique gravissimum quemque auctorem, maxime autem, quod Strabone teste crebro μαρτυρώων usu excelluit.

²⁾ Cf. Didot prolegg. p. LXII. (6) LXIII. (7).

per quas res publicae inter extrema quaeque, inter obligarchiam sceleribus innoxiam et effrenam democratiam iactabantur, aliae fundamentis, quibus conditae erant, labefactatis ad exitum vergebant. Cum antea Graecae civitates secundum gentium cognationem et diversitatem aut coniunctae fuissent aut oppositae in rebus externis, iam id ab omnibus curabatur, ne qua civitas ceteras opibus superaret, ita, ut, dum debiliores usque communi studio potentissimum quemque impugnant, postremo ad aequalem omnes imbecillitatem pervenirent. Quare cum Graecia ipsa interitum sibi moliretur, eminebant tum insignes quidam viri inter communem omnium rerum ruinam, e quorum rebus gestis et consiliis intelligi iam posset singulare imperium esse finem illum, ad quem universae res Graecae tendebant. Tale fuit hoc tempus illi recentioris historiae aetati non dissimile, qua postquam rerum sacrarum studium per bellum triginta annorum ex hoc ipso studio ortum evanuit, singuli privatae utilitatis cupiditate, res civiles principum arbitrio, externae civitatum rationes exaequandae inter omnes potentiae studio regebantur. Jam qui talis saeculi moribus et ingenio imbutus ad historiam scribendam accesserit, quid eum praestitutum putabimus? Ac primum quidem non est, quod miremur, eum parum aptum esse ad initia historiae recte perspicenda, quippe qui, quae per aeternam quandam rerum ipsarum necessitatem evenerunt, ea a libero singulorum arbitrio fluxisse putet¹⁾. Deinde consentaneum est eum magno et sublimi illi bellorum Medicorum saeculo iuste aestimando imparem esse, homines alium impetum, quam proprii commodi studium sequi ignorantem²⁾. Item cum non

¹⁾ Huius modi aliquot exempla exstant in Ephori fragmentis ad primos tres libros pertinentibus, quibus antiquissimae Graeciae historiae narratae erant, *κτίζεις* maxime.

²⁾ Huc pertinet narratiuncula ista Diod. XI. 27 exhibita de rebus post pugnam Salaminiam inter Graecos actis. Lacedaemonii Atheniensium laudi invidentes efficiunt, ut non illis, sed Aeginetis virtutis praemia concederentur; tum veriti ne hanc iniuriam ulciscerentur, Themistoclem, quem plurimum penes eos posse sciunt, duplici praemiorum pretio conciliare student; quod cum ille accepisset Athenienses suspitione mota eum a republica administranda remonent.

intelligat, quale illud et quam inevitabile fuerit fatum, quo Athenienses diuturno bello contra Spartanos pugnare, fieri non potest, quin tantos eventus a quorundam hominum astutia et calliditate derivet ¹⁾. Accedit, quod Ephoro ut ita dicam non solum cum rerum magnitudine luctandum erat, quarum naturam perspicere non poterat, sed simul cum illustribus illis scriptoribus principibus Graecorum historicis, quibus multo inferior erat. Nam ne hos, qui eadem ante tractaverant, ad verbum transscribere cogere, eos narratiunculis quibusdam vilibus insertis superare studuit, quae minus ad ipsas rerum causas, quam ad privata hominum consilia pertinerent. Quod si contra Thucydidem vires intendens non potest, quin ad ineptias fere descendat, id documento est, quantam vim superioris ingenium contra inferius exerceat neque impunem talem conatum esse. — Quae in Ephoro reprehendenda sint, aperte et ingenue confessi sumus ²⁾. Sed peropportune fit, ut per quam argumentationem eum ex altera parte condemnemus,

¹⁾ Huc pertinet, quod Ephorus, postquam easdem res narravit, per quas bellum Peloponnesiacum exarsisse Thucydides affirmavit (Diod. XII. 30—37) turpibus quibusdam narrationibus de Pericle insertis (Diod. XII. 38—40) graviores causas exhibuisse sibi visus est. Scilicet Pericles, ne rationes de pecunia publica, quam in suum commodum expendere, reddere cogere, Alcibiade puero instigante Athenienses bello implicare studuit. Accedebant aliae calumniae et crimina in eum coniecta: ὁ δὲ Περικλῆς, εἰδὼς τὸν δῆμον ἐν μὲν τοῖς πολεμικοῖς ἔργοις θαυμάζοντα τοὺς ἀγαθοὺς ἀνδρας διὰ τὰς κατεπίγουσας χρεῖας, κατὰ δὲ τὴν εἰρήνην τοὺς αὐτοὺς συκοφαντοῦντα διὰ τὴν σχολὴν καὶ φθόρον, ἔκρινε συμφέρειν αὐτῷ τὴν πόλιν ἐμβαλεῖν εἰς μέγαν πόλεμον, ὅπως χρεῖαν ἔχουσα τῆς Περικλέους ἀρετῆς καὶ στρατηγίας, μὴ προσδέχεται τὰς κατ' αὐτοῦ διαβολὰς, μηδὲ ἔχη σχολὴν καὶ χρόνον ἐξετάζειν ἀκριβῶς τὸν περὶ τῶν χρημάτων λόγον. Ita sentiens occasionem bellum conflandi mox datam arripuit et quae in suum commodum moliebatur, in iis se patriae salutem spectare Atheniensibus gravi oratione persuasit. Similia in belli Peloponnesiaci narratione saepius occurrunt.

²⁾ Reprehensionem Polybii (Exc. Vatic. I. I.) non ita magni facienda censeo. In hoc enim rei militaris studium facit, ut ceteris omnibus posthabitis ex hac sola parte de scriptorum pretio iudicet. Omnino Polybius in vitae usu summam historici laudem ponens a ceteris scriptoribus docto magis scribendi genere usis nimium differebat, quam qui iustum de iis iudicium facere posset. Ceterum idem V. 33 Ephorum omnibus aliis historicis anteponit.

per eandem ex altera eum possimus absolvere. Cum enim ipsi saeculi, quo vixit, mores, ut monuimus, effecerint, ut praecedentium aetatum naturam perspicere non posset, iisdem ad suum saeculum penitus cognoscendum maxime idoneus fieri debebat, quo post belli Peloponnesiaci finem re vera talis erat rerum publicarum conditio, tales hominum animi, talia agendi consilia, qualia iniuria in superiora saecula intruserat. Tum qui ea quae Thucydides narraverat repetere ac superare et sic quasi Iliadem post Homerum scribere infeliciter conatus esset, is, ubi ille desierat, animum colligere et quae re ipsa ei magis commoda erant, ea tanto aemulo vacuus suo Marte referre poterat. Qui num Xenophontis historiam noverit, vix unquam poterit diiudicari. Verumtamen si eam legerat per Xenophontis scribendi genus, quem imprudentem saepius minus aequo iudicio usum esse vidimus, magis etiam incitari Ephorum par erat, ut res sine ullo partium studio perscriberet, praesertim cum Cymis oriundus parva civitate, quae in illius temporis contentionibus locum non obtinebat, et Athenis rhetoricis studiis deditus a partibus civilibus alienis irae et studii causas procul haberet. Itaque haec omnia faciunt, ut Ephoro post Thucydidem magnam auctoritatem tribuere non dubitemus multisque nominibus maiorem, quam Xenophonti ¹⁾. Quam

¹⁾ Didot prolegg. LIX et LXXV. Ad Ephorum paucis cum Theopompo conferendum pertinet, quod fertur Isocrates cum utrumque discipulum ad historiam scribendam impelleret, Ephoro antiquitatem, Theopompo recentia tempora assignasse tractanda propter ardentius huius ingenium. Vossius De hist. Graec. ed. Westermann p. 65, adnot. 27. Sed eam ipsam ob causam Theopompo saepius imprudenter et incaute iudicasse et colligere licet et multis locis, qui adhuc exstant, probatur. Etiam apud veteres in universum propter maledicentiam et animi importunitatem male audit. Locos collegerunt Vossius de hist. Graec. I. VII. et Westermann a. h. l. in adnot. 21 (p. 63). Eam ob causam Plutarchus dicit ei magis, ubi laudet, quam, ubi vituperet, credendum esse. Adde Cic. Brut. 56: „Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos.“ Accedit, quod Theopompos ipse per turbas civiles magnopere agitatus iam per hoc non tam aequo animo iudicare poterat, quam Ephorus. Itaque non Theopompi sed Ephori, qui in tales reprehensiones non incidit, narrationem per Diodorum ad nos pervenisse, est, quod gaudeamus. —

ab ipsis veteribus scriptoribus ei concessam esse, maxime autem de Thebanorum bellis contra Spartam gestis nullum auctorem Ephoro antehabitu fuisse iam supra locis quibusdam probavimus. Addere iuvat Plutarchi locum de garrulitate c. 22. (Eph. fr. 142): ὡς τῶν παρ' ἡμῖν τις κατὰ τόχην ἀνεγνωκῶς δύο τῶν Ἐφόρου βιβλίων ἤτρία πάντας ἀνθρώπους κατέτριβε καὶ πᾶν ἀνάστατον ἐποίησεν συμπόσιον αἰετὴν ἐν Λεύκτραις μάχην καὶ τὰ συνεχῆ διηγούμενος. Quamobrem percommode nobis contigit, ut ipso Ephori opere amisso ea quae exhibuerat a Diodoro tradita neque per narrationes aliunde sumptas turbata ad nos pervenerint; et Diodoro gratiae agenda sunt, quod neque de suo iudicio neque de aliorum auctoritate quidquam Ephori sententiis admiscuit. Sed ne quis credat iam nihil amplius obstare, quominus Diodori libris tamquam Ephoreis utamur. Unum restat perscrutandum, quo non possumus quin paullulum a fine disputationis nostrae aberremus. Constat enim rerum Graecarum partem eam, de qua agitur, esse Ephoream. Sed non minus constat Diodorum non ipsis verbis integram Ephori narrationem transscripsisse sed materiam ab eo desumptam in novam formam redelegisse. Quaeritur igitur, qua ratione Diodorus Ephori narrationem excerpando et mutando retexerit.

Primum patet Diodorum Ephori opus amputasse et in epitomen coëgisse. Hoc enim iam ex utriusque operis descriptione colligitur, cum triginta Ephori libri a Diodoro in minus quam decem librorum spatium coarctati sint, quibus etiam in rebus Siculis et in appendice additamenta quaedam adiuncta essent. Atque idem omnium fere fragmentorum cum Diodori textu comparatione docemur. Veluti fr. 130 Dercyllidae morum atque indolis descriptio exhibetur, quam Diodorus (XIV. 38) omisit. Frgto 131 probari videtur omnino expeditiones in Asiam factas ab Ephoro multo copiosius fuisse expositas (Diod. XIV. 79). De ratione, quae inter fr. 133 et Diod. XIV. 83 obtinet, iam supra pluribus disputavimus. Quae cum ita sint, primum constat multas Ephori narrationes a Diodoro non transcriptas esse; ac Diodorum, qualem superioribus eum deprehendimus, quae in quaque re gravissima erant, semper elegisse vix credendum est. Itaque cum Diodorus materiam traditam mutilaverit, patet Ephori fragmenta

praeter eam qua supra iis usi sumus rationem etiam ipso argumento Graecae historiae illustrandae non inutilia esse. — Sed altero loco quaeritur, qua ratione, quae ex Ephoro mutuatus est, ea ipsa Diodorus disposuerit. In Diodori opere, quod iam supra vidimus, si primos libros exceperis, res secundum annos digestae sunt. Ita fit, ut cum non quae re ipsa cohaerent, sed quae uno anno gesta sunt, ea coniunctim narrentur, verus rerum ordo saepissime turbatus sit. Ephorum vero longe aliter opus suum instituisse nunc demonstrabo.

§. V.

De operis Ephorei descriptione et fragmentorum ordine inde derivando disputatur.

Pars I. Diod. XVI. 76 legitur: „Ἐφορος ὁ Κυμαῖος περιεἴληψε τῇ γραφῇ πράξεις τὰς τε τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων ἀρέαμενος ἀπὸ τῆς τῶν Ἑρακλειτῶν καθόδου. Χρόνον δὲ περιέλαβε σχεδὸν ἑτῶν ἑπτακοσίων καὶ πεντήκοντα καὶ βιβλίους γέγραφε τριάκοντα, προοίμιον ἐκάστη προθεῖς. Constat igitur totum opus, cuius argumentum hoc loco certis verbis definitur in triginta libros divisum fuisse. Sed quaeritur, qua ex lege res per singulos libros digestae fuerint. Jam vero fundamenti totius disputationis loco aliud Diodori ponendum esse mihi videtur. V. 1 dicit: Ἐφορος τὰς κοινὰς πράξεις ἀναγράφων οὐ μόνον κατὰ τὴν λέξιν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν οἰκονομίαν ἐπιτέτευχε τῶν γὰρ βιβλίων ἐκάστην πεποίηκε κατὰ γένος περιέχειν τὰς πράξεις. Quod exemplum pro viribus secutum hunc librum se νησιωτικὴν appellare Diodorus addit. Plenior etiam lux huic loco per libri XVI. initium affunditur: ἐν πάσαις μὲν ταῖς ἱστορικαῖς πραγματείαις καθήκει τοῖς συγγραφεῖς περιλαμβάνειν ἐν ταῖς βίβλοις ἢ πόλεων ἢ βασιλείων πράξεις αὐτοτελεῖς ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τοῦ τέλους. Sic enim historiam fieri εὐμνημόνευτον καὶ σαφεῖ; ita liber XVI. re vera Philippi historiam ab initio usque ad finem continet. His locis collatis colligi posse puto Ephorum non ut Diodorum temporum ordinem summam dividendi rationem habuisse, cum expressis verbis affirmetur quemque librum κατὰ γένος περιέχειν τὰς πράξεις. Ea igitur, quae re ipsa, κατὰ γένος, inter se cohaerebant, singulis libris coniuncta erant, qui omnes, si ex Diodori loco supra allato et

ex unius libri exemplo, cuius nomen ad nos pervenit, colligere licet, suo nomine rerum narratarum genus significante notati erant. Ac nusquam in eodem libro res narratae erant ad diversa genera pertinentes. Itaque quod maximum est, quae eodem tempore in Sicilia et in Graecia gesta sunt, non ut a Diodoro narratione coniuncta erant, sed diversis libris adscripta. Primum videndum est, num sint, quae huic argumentationi officere possint. In parte enim fragmentorum libri, ad quos pertinent, notati sunt. Quae si examinamus statim apparet sententiae nostrae hac ex parte non modo nullam difficultatem oriri, sed etiam maiorem fidem accedere. Quamquam enim perexiguus est talium fragmentorum numerus, tamen exceptis quibusdam locis manifeste corruptis, quos aut Marx et Mueller emendaverunt, aut nos sequentibus sumus emendaturi nusquam fit, ut compluria fragmenta argumento sibi dissimilia eidem libro adscripta sint; sed potius, ubicunque compluria fragmenta certo testimonio uni libro assignantur, semper quatenus omnino certus sensus ex iis elici potest re ipsa inter se cognata sunt. Quaecunque vero alieni argumenti hodie in unum librum congesta habemus, nostro demum tempore ex virorum doctorum arbitrio in hunc ordinem redacta sunt. Quamobrem omissis, quae hucusque ab aliis alia ratione praestita sunt periclitandum est in hoc, ut legem illam a nobis propositam cum disertis veterum testimoniis de librorum numeris conciliemus, non repudiatis aliis, si qua erunt, auxiliis.

Quodsi primum ex fragmentorum copia ea excerpimus, quibus libri nota addita est, inter sexaginta duos huius generis locos novem ad primum librum pertinent¹⁾, (quorum unus levi et necessaria Marxi emendatione huc trahitur) tres ad librum secundum, sex ad librum tertium, septem ad librum quartum, (quorum unus etiam emendatione huic libro vindicatur) octo ad librum quintum, duo ad librum sextum, singuli ad libros

¹⁾ In horum numero sunt fr. 1 et 2, quae Marxius prooemii loco ante primum librum posuit, alterum ita notatum: Ἐφορος ἐν τῷ προοίμῳ τῆς ὅλης πραγματείας, quod prooemium, cur non libri I. partem efficere potuerit, veluti simile Diodori prooemium, non video; alterum ita: Ἐφορος ἐν τῇ πρώτῃ ἱστορίῳν.

septimum et octavum, tres ad librum nonum, singuli ad libros X. XII. XV. XVI. XVII., tres ad librum XVIII., quatuor ad librum XIX. (ita tamen, ut unum fragmentum nomine proprio constans saepius repetito utriusque libro commune sit et sic sex fragmenta ad hos duos libros pertineant), singuli ad libros XX. XXIII. XXIV. XXV., tres ad libros XXVIII et XXX. (huc enim altera frgti 150 pars trahenda est, quo Marxius duos locos ad libros XXVIII. et XXIX. pertinentes coniunxit). Fragmenta libris XI. XIII. XIV. XXI. XXII. XXVI. XXVII. a veteribus adscripta non exstant. Omnino autem cuius vel primo aspectu elucebit, prioris operis partis multo frequentiora superesse fragmenta adeo, ut plura dimidio, triginta tria, in primos quinque libros cadant, ad viginti quinque libros reliquos tantum undetriginta fragmenta pertineant. Patet igitur iam ex hac numerorum ratione de illorum librorum argumentis et dispositione multo certius iudicium fieri posse, quam de ceteris. Sed accedunt alia quaedam, quibus vel magis adiuvamur. Primum scimus Ephori opus ab Heraclidarum reditu coepisse (Diod. XVI. 76). Hunc igitur et quae post eum evenerunt primo libro narrata fuisse, non est, quod dubitemus; ac re vera in frgtis 8. 9. 10. 11. 17. aut Herculis mentio fit aut Doriensium Peloponnesum invadentium earumque rerum, quae inde secutae sunt; tum frgta 1 et 2 sine ulla dubitatione ad totius operis prooemium pertinent, quod non bene a libro primo seiungi supra monuimus. Frgta 22 et 23 autem, quae minime primi libri argumento conveniunt, eo aptius in libro quinto collocantur (quod deinde videbimus), cui facillima emendatione vindicari possunt, eadem, qua Marxius in fr. 9 usus est et quam in fr. 109 adhibendam esse Mueller prolegg. p. LX. recte censuit. Littera α enim in ε commutanda est. His igitur fragmentis ita remotis hoc efficitur libri I. argumentum:

In libri quasi centro posita fuit ipsius Heraclidarum reditus narratio, praemissis quae de gente et de Hercule gentis auctore monenda erant, additis, quae per Dorienses in regnorum Peloponnesiacorum conditione commutata sunt.

Ex tribus secundi libri fragmentis fragmenta 25 et 26 ad

antiquissimas Athenarum et Thebarum historias pertinent, proxime cum Heraclidarum expeditione cohaerentes; fr. 27 excursum continet, in quem auctor in rebus aut Acarnaniae aut Dodonae narrandis exspatiatus est. His fragmentorum argumentis cum ipso rerum decursu collatis videtur narratum fuisse:

Qua ratione in ea Graeciae parte, quae proprie Hellas dicitur, respublicae post Heraclidas commutatae et stabilitae fuerint.

E tertii libri fragmentis prima quinque, fr. 32a—36 cuncta probare videntur continuisse hunc librum

Colonias post res in ipsa Graecia per Dorienses conversas in insulas et in Asiam minorem deductas.

Solum fr. 37 paullo impeditius est; eo enim internae Athenarum res tractari videntur. Tamen si accuratius rem inspicimus, etiam hoc fragmentum egregie cum argumento totius libri concinit. In eo enim narratur Athenis summa cum liberalitate quemvis peregrinum receptum esse (ξένους εἰςδέχεσθαι τοὺς βουλομένους τῶν Ἑλλήνων). Jam vero hanc ipsam peregrinorum frequentiam, quae propter turbas ab Heraclidis in Peloponneso motas Athenis confluerat; causam fuisse colonias Ionias in Asiam deducendi certissimum est (Strabo XIV. init.). — Nullum librum omni modo quarto accuratius cognitum habemus. Strabo enim monet (Eph. fr. 76): Ἐφορος δ' ἐν τῇ τετάρτῃ μὲν τῆς ἱστορίας Εὐρώπῃ δ' ἐπιγραφομένη βίβλῳ περιόδεύσας τὴν Εὐρώπην μέχρι Σκυθῶν ἐπὶ τέλει φησὶν etc. — Intelligimus igitur

Quartum librum cui Europae nomen inscriptum fuit geographicam huius terrae descriptionem continuisse exorsam a columnis Herculis, septentrionale maris mediterranei litus legentem et in Scythis terminatam.

Cum hoc libri argumento etiam reliqua sex fragmenta egregie conveniunt. Primum enim fr. 38 velut in prooemio geographicam universae terrae descriptionem secundum coeli

regiones institutam exhibet; fr. 70 Helladis gentium conditionem tangit; fr. 72—75 ad Thraciae urbes pertinent.

Tum libro quinto altera pars descriptionis geographicae sequebatur, qua Asia et Libya tractatae erant.

Hoc argumentum, quod ex re ipsa certissime colligi potest, octo huius libri fragmenta cuncta spectant, quibus fragm. 22 et 23, quae modo e primo libro eieimus, aptissime inseruntur, quippe quae et ipsa ad Asiae minoris geographiam pertineant. Item ex Muellieri emendatione hic collocamus frgta 108. 109 de Nilo, quibus is locus, quo a Marxio posita sunt, omnino non convenit. — Quare efficitur, ut his quinque libris et historice et geographice operis quasi fundamenta iacta esse videantur. Videmus enim primum populos Graecos, quibus in sequenti dramate primae partes agendaerant, ex praescae aetatis tenebris in lucem procedere, tum theatri, in quo iis agendum erat, cognitionem capimus.

Priusquam ad reliqua pergamus, inquirendum est, ex ceteris fragmentis, quibus a veteribus certa sedes non assignata est, quae primis quinque libris sint inserenda; qua in re multo magis a Marxio nobis discedendum erit, quam superioribus in argumentorum definitione discessimus. Jam vero id neminem fugit, cum fragmentorum libri numero notatorum maior pars ad hos libros pertineat, eandem rationem in ceteris quoque fragmentis obtinere. Ac Marxius illi operis parti sexaginta sex fragmenta addidit. Sed ab eo iam Mueller duobus locis discessit, primum monens fragmenta de Nilo, (108. 109.) quae Marxius libro undecimo adscripsit, ad quintum pertinere, tum partem fragmentorum Cretam insulam tractantium e libro quarto eiciens. In utroque Muellero assentimur; nam quod ad alterum attinet, copiosa disputatio de Cretae institutis (fr. 64) geographici Europae conspectus partem efficere omnino non potuit. Sed hoc, quod statuit Mueller, septimo libro adscribendum esse, ex ratione nostra non recte fieri infra demonstrabimus. Praeter has emendationes etiam alia quaedam fragmenta ex priore operis parte in posteriorem transferenda esse et contra sequentibus probabitur. In universum autem fragmentorum distributioni a Marxio inter has duas operis

partes institutae accedimus; maxima enim fragmentorum prioribus libris adscriptorum pars ita comparata est, ut in qua operis regione ponenda sint, dubitari nequeat. Et in summa Muellerei commutationibus adoptatis primis quinque libris centum fragmenta vindicantur, ad reliquos viginti quinque libros non amplius sexaginta quatuor pertinent. Sed eo magis in singulis fragmentis ad priorem partem pertinentibus et per quinque libros distribuendis et inter se in certum ordinem redigendis a Marxio nobis discedendum erit. Namque licet tam librorum quam fragmentorum argumentis certissima ratione definitis, tamen multi loci utrum in historiae nexum an in geographici conspectus pertineant, i. e. utrum in libris I—III, an in libris IV. et V. ponendi sint, dubitari potest. Cum enim omnino difficillimum sit e fragmenti argumento elicere, ex quo rerum nexu depromptum sit, quoniam saepissime, quae auctor vel praetereundo vel evagando adnotavit, ab alio scriptore in suum propositum excerpta sunt atque iam primario fonte, ex quo deprompta erant, perditio, ita ad nos pervenerunt, ut quae πάρεργα fuerint in primo auctore, in fragmento primas partes teneant — tum hic res multo impeditior sit eo, quod maximam partem eadem terrae bis perlustratae sunt, primum rerum civilium, tum locorum situs ratione habita, quo in negotio auctor non potuit, quin saepius ab altero genere in alterum evagaretur. Marxius hanc difficultatem non videtur sensisse; certe qua norma usus eam fragmenta digerendo evitaverit non manifestum est. Veluti fr. 53 geographico conspectui inserere non dubitavit, quippe quo Tarentum conditum narretur. Strabo, qui auctor est huius loci, eum re vera eo consilio ab Ephoro transscripsit, ut Tarenti origines narraret. Ita enim eum introducit: Ἐφορος δ' ὁ αὐτῷ λέγει περὶ τῆς κτίσεως. Sed Ephorum in geographico conspectu, in quo tota Europa uno libro comprehensa erat, tam copiose unius urbis originem narresse, et in ea narranda omnia ea tetigisse, quae infra in bellis Messeniacis referendis iterum referri debebant, credat Judaeus Apella, non ego. Multo verisimilius est ipsum hunc locum bellorum Messeniacorum historiae partem effecisse, in qua etiam Tarenti originem memoratam fuisse non mirum est, — tum Strabonem totam narrationem e nexu ceterorum evulsam alio retulisse. Item Marxius temere fr. 14, in quo Naupacti

nomen explicatur, primo libro adscripsit, quamquam ipso argumento multo melius locorum descriptioni convenire videtur. Sed mittamus hanc Marxii dispositiones impugnandi rationem, cum non ubique tam facili opera procedi possit ac non sine caussa crimini nobis dari possit, quod coniecturis coniecturas non certiores opponere conemur. In talibus enim rebus semper multa libero arbitrio relicta erunt. Itaque Marxio ius concessum esto, ut eius arbitrium lex habeatur, donec norma reperta erit certioribus fundamentis innixa.

Sed haec norma in una parte iam nunc exstare mihi videtur. Quaedam enim fragmenta auxilio extrinsecus accessito in ordinem suum redigi possunt, quod ab ipso Marxio indicatum, sed non ut debebat adhibitum est. Marxius enim in fr. 55 posuit hos Scymni Chii versus:

Ἐξῆς διεξίεμεν δὲ πάλιν τὴν Ἑλλάδα.

Ἐπὶ κεφαλαίων τὸς τε περὶ αὐτὴν τόπους

Ἐθνικῶς ἅπαντας κατ' Ἐφορον δηλώσομεν.

addito: „Profitetur igitur hic disertis verbis, quod eum fecisse in reliquis aliorum locorum comparatio ostendit. Et potest Scymni libellus maximam partem pro compendio uberioris Ephori geographiae, praesertim in Graeciae descriptione haberi: quem ducem nullibi deseruisse videtur, nisi qua aliorum auctorum, Herodoti, Timaei, Eratosthenis, Demetrii expressam mentionem facit. Quae observatio item cadit in Scymni fragmentum ab Holstenio primum publici iuris factum.“ Quod rectissime adnotavit. Quae enim ex Scymni opere supersunt — supersunt autem fragmenta duo satis magna — tam accurate cum Ephori fragmentis congruunt, ut saepe in utroque auctore eadem verba legantur. Itaque hae Scymni reliquiae re vera pro norma habendae sunt, secundum quam Ephori fragmenta huc pertinentia disponantur, (pertinet autem huc totus liber quartus et pars quanti); per quam normam a Marxio prorsus neglectam cogemur quaedam fragmenta, quae aliis libris adscripta reperimus, in hunc ordinem recipere, alia, quibus Marxius ad arbitrium diversa coniunxit, dirimere. Quae vero hac ratione definiri non possunt, in iis ordo a Marxio constitutus servatus maneat.

Fr. 40, cui Scymn. v. 152 respondet, in libri initio ponendum est. Sequitur fr. 43 conveniens illud cum versu 166; tum

demum fr. 38 (hoc enim cum praecedente arctissime cohaerere e Scymni versibus intelligimus). Tum fragmenta ad Siciliam pertinentia 50. 51. 52. iis anteposenda sunt, quae magnam Graeciam spectant, 46—49; prioribus enim Scymni versus 263—298 respondent, ita quidem, ut fr. 52 vv. 269—276 manifestissime expressum sit; deinde autem v. 314. 315 cum fr. 46. 47 congruunt. Deinde in Adria eiusque litoribus et insulis describendis v. 368—468 Scymnus ab Ephoro discessisse videtur. Theopompus, Timaeus, Eratosthenes citantur. Ceterum memorabile est, ne unum quidem Ephori fragmentum ad has regiones pertinere. Tum Scymnus iis versibus, quos supra attulimus v. 469 sqq., ipse se hinc in Graeciae descriptione Ephori vestigiis insistere indicat. Atque in sequentibus permulta invenimus congruentia; fr. 56 et 57 recto loco posita sunt, cf. v. 472; tum sequi debet fr. 14, quod Marxius primo libro adscripsit; respondet enim versui 477. Jam ponenda est altera frgti 70 pars, quacum v. 482. 483 concinunt, de oraculo Delphico, quod ab utroque scriptore *μαντεῖον ἀψευδέστατον* vocatur¹⁾. Sequitur fr. 67 vv. 487—499 manifeste expressum; cui fr. 68 ob argumentum haud dubie addendum est. Sequitur apud Scymnum Peloponnesi descriptio v. 510—533, quo Ephori fr. 59 cum versu 512 conveniens referendum est; tum ex primo Marxii libro fr. 16. Fr. 58 an huc trahi possit, dubium est. V. 534—548 auctor ad Cretam insulam describendam progreditur; itaque hic locus foret copiosis Ephori fragmentis 61—65, nisi iam Mueller, ut supra vidimus, bene monuisset, in conspectu geographico non ita multis verbis unius insulae instituta tractari potuisse. Quare certe fr. 64 alio trahere non dubitamus, quippe quod argumento et magnitudine ab hoc loco maxime alienum sit. V. 555 pergitur ad Aeginam insulam; hic igitur fr. 60 ponendum est. Fr. 66 num omnino huic libro adscribendum sit, dubites. Fr. 69 autem sine dubio in Scymni versu 567 repetitum est. Sequitur Thessalia inde a versu 606; huc pertinent fr. 71 et altera frgti 70 pars. Tum versui 665 respondet fr. 72. Fr. 74

¹⁾ Marxius falsissime uno fr. 70 duos locos composuit, quos longe seiungendos esse docent congruentes cum utraque parte Scymni versus v. 482 et 634.

accuratissime versibus 675. 676 expressum est; deinde ex primo Marxii libro fr. 12 huc trahendum est; (cf. Diod. V. 48.) tum demum fr. 73; namque in Scymni versu 695 legitur: *μετὰ τὴν Μαρώνειαν κατ' Αἴνος πόλις*; denique frgti. 72 altera pars, quae a priore divellenda et hic collocanda est, quia versui 710 respondet. De ceterorum fragmentorum ordine nihil certi constitui potest, nisi quod fr. 79 ex ipso argumento statim post fr. 75 ponendum esse et cum altera frgti 103 parte hunc librum concludendum esse intelligitur.

Eadem ratione in libri quinti fragmentis aliqua commutanda sunt. Incipiendus est hic liber a fr. 81; concinit enim cum Scymni alterius fragmenti versu 162; sequitur fr. 82, ad quod v. 177 refertur; subiungendum est fr. 80 vv. 195 sqq. respondens; denique fr. 83, quod versu 230 expressum est. Hinc altero Scymni fragmento abrupto norma, quam hucusque adhibuimus, sumus destituti; ita ut in reliquorum fragmentorum collocatione non aliam regulam sequi possimus, quam situm locorum. Quam cum iam Marxius ipse adhibuerit, nihil aliud commutandum videtur, nisi quod ex Muellerei coniectura fr. 108. 109 de Nilo et ex nostra fr. 21. 22. 23 de locis quibusdam Asiae minoris huc referimus.

Haec in primis quinque libris habuimus, quae contra Marxium disputaremus. Restat, ut qualis iam ex nostra ratione evadat fragmentorum ordo sub uno conspectu collocemus, in quo si quae alia quoque immutata inveneris, caussa, qua ducti fuimus, in promptu erit. Ita igitur fragmenta per primos quinque libros distribuenda esse existimamus:

L. I. 1. 2. 3. 4. 5. (?) 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 15. 17. 18. 19. 20. 24.

L. II. 25. 26. 27. 30.

L. III. 31. 32 ¹⁾ 32, a. 33. 34. 35. 36. 37.

L. IV. 40. 41. 42. 43. 38 39. 44. 45. 50. 51. 52. 46. 47. 48. 49. 54. 28 56. 57. 55. 25. 14. 70^{1/2} 67. 68. 59. 16. 58. (?) 61. 62. 63. 65. 60. 66. (?) 69. 71. 70^{1/2} 72^{1/2} 74. 72 73. 72^{1/2} 75. 79. 76. 77. 78. 103^{1/2}.

L. V. 87. 82 80. 63. 84. 85. 86. 87. 89. 104^{1/2} 21. 22. 23. 90. 91. 92. (?) 93. 94. 95. 108. 109. 96. 96. a.

²⁾ Nisi haec rectius libro quinto tribuantur.

Adn. Quae fragmenta veterum testimoniis libris suis adscripta sunt, in iis lineam infra numerum posui; ea, quorum locus Scymni auctoritate constitutus est, linea supra numerum posita significavi. Reliquorum locus Marxi auctoritate nititur.

Pars II. Jam vero inde a libro sexto, a quo ipsa his *ἑρῖα* incipiebat, multo saepius, quam in superioribus, coniecturis indulgendum erit, quoniam et fragmentorum frequentia et auxiliis extrinsecus arcessitis destituti sumus. Sed in tanta documentorum externorum penuria eo magis interna disponendi ratio, quam supra proposuimus, valebit, quo fit, ut sequentibus etiam magis, quam praecedentibus a Marxi nobis discedendum sit. Septem libris inter eos, qui sequuntur, viginti quinque, quod supra docuimus, ne unum quidem certum fragmentum tribuitur, ita, ut eorum argumenta prorsus e coniectura constituenda sint. Sed primum quid de reliquis constet, videndum est. Sexto libro duo fragmenta adscripta sunt, contentiones inter Peloponnesi civitates ortas tractantia, fr. 97.98; septimo libro unum, quod ad mythicam Siciliae historiam pertinet fr. 99; libro octavo Croesi mentio facta fuit fr. 100. Libro nono res narratae fuisse videntur in Asia minore et vicinis Europae regionibus gestae (fr. 103½. 104½. 105). Libri decimi fragmento 107 Miltiadis facinora tanguntur. Libro duodecimo per brevissimum fragmentum 110 iterum in Siciliam deducimur. Per simile fragmentum, quo nihil certi proditur, fr. 122, libro decimo quinto in Asiam minorem transferimur. Tum libri decimi sexti fr. 124 iterum ad Siciliam pertinet. Libro decimo septimo Alcibiadis mors narrata erat (fr. 126); ad librum decimum octavum duo fragmenta pertinent 130. 131, res a Spartanis post bellum Peloponnesiacum in Asia gestas spectantia. Libro undevigesimo quatuor fragmenta 134—137 bellum assignant, quod deinde in ipsa Graecia exarsit. Libro vigesimo Mantineae *δικοιτισμός* a Spartanis post pacem Antalcidae perpetratus tractabatur (fr. 138). Fragmentum libri vigesimi tertii non satis perspicuum (145) Chalcedonem spectat. Ad librum vigesimum quartum fr. 146 pertinet, quod ubi cum respondente Diodori loco comparaveris ad expeditiones ab Epaminonda in Peloponnesum factas referendum esse elucebit. (Diod. XV. 75). Libro vigesimo quinto proelium Mantineense narratum erat (fr. 146 a). Libro

vigesimo octavo iterum ad eas res deducimur, quae in Sicilia, Italia, Libya gestae erant (fr. 149 a. 150). Ad librum undevigesimum fragmentum maxime exile pertinet 150 Istri nomen continens. Libro trigesimo denique illae Graeciae contentiones relatae erant, quae Philippo Macedoniae regi in res Graecorum interveniendi occasionem praebuerunt (fr. 153. 154. 155).

Omnino duo narrationum genera his Ephori libris exhibitae erant, cum auctor aut circa eas res, quarum Sicilia quasi centrum fuit, aut circa ipsius Graeciae historiam versaretur. Passim utriusque rerum orbis fines miscentur; plerumque autem alterum narrationum genus ab altero prorsus disiunctum procedit. Primo igitur videndum est, quomodo secundum legem supra propositam singuli libri in utramque partem distribui possint. E libris VII. XII. XVI. XXVIII. fragmenta supersunt ad Siciliam pertinentia, ita quidem, ut libri VII. fragmentum historiam mythicam, libri XVI. bella cum Carthaginiensibus gesta spectet, vel, ut accuratius dicam, quod comparatione loci Diodorei XIV. 9 effici videtur, primum Dionysii maioris bellum. Ex librorum XII. et XXVIII. fragmentis de eorum argumentis nihil certi constat. Si vero ipsam rerum naturam consulimus, cuius Ephorum, quippe qui res *κατὰ γένη* disposuerit, rationem habuisse dubitari non potest, — primum patere videtur, cum libro VII. civitatum et morum Graecorum in Sicilia insula origines narratae essent, libro XVI. autem Dionysii maioris tempus tractatum esset, libri XII. argumentum fuisse Gelonem et bella ab eo contra Carthaginem gesta, quae tamquam orbem suis finibus conclusum efficiunt. Similem orbem efficiunt eae contentiones, quae post Dionysii minoris fugam Syracusis de institutis et libertate ortae sunt; nam credere licet Ephorum reliquas Siculorum res Syracusarum historiae quasi subiunxisse. His igitur contentionibus, ultra quas Ephori narrationem non progressam esse, temporis, quo scripsit, ratio docet, librum XXVIII. assignaverim, quo ultimo res Siculas tractavit. Itaque id unum inquirendum restat, num liber XVI. omnia continuerit, quae inter Gelonis aetatem libro XII. ut modo vidimus, tractatam et has res ultimo loco positas intercesserunt, i. e. totam utriusque Dionysii historiam. Quae historia quominus uno libro tractetur ipsa argumenti indoles non videtur impedire. Nam

internus ille rerum nexus non deest, secundum quem Ephorum singulos libros definivisse vidimus. Tamen et nimia rerum copia et amplo spatio inter libros XVI. et XXVIII. intercedente, quod multo maius est eo, quo in ceteris operis partibus libri ad res Siculas pertinentes inter se distant, multo verisimilius fit hoc argumentum in duos libros fuisse distributum. Itaque aptum videtur librum aut XXI. aut XXII. de quibus ex libero arbitrio licet disponere, Siciliae vindicare atque ita materiem distribuere, ut liber XVI. a famosae illius expeditionis ab Atheniensibus contra Syracusas susceptae exitu exorsus, quae sine dubio narratione cum belli Peloponnesiaci historia coniuncta fuit, res Syracusanas modo usque ad id temporis momentum enarraverit, quo Dionysii maioris tyrannis ab omni parte stabilita et munita fuit. (Primum bellum Carthaginiense ipsum inter eas res referri potuit, quibus Dionysii potentia augebatur). Hac ratione libro XXII. (hunc enim aptiorem esse, cui res Siculas adscribamus, deinde demonstrabimus) eius temporis historia relinquatur, qua Syracusae gravi confirmatae tyrannidis onere premebantur. Quae cum ita sint, Siciliae insulae historia tam per ipsam rerum narratarum naturam, quam per quaedam veterum testimonia secundum libros disponenda esse videtur ita:

L. VII. Insula per varias colonias fit Graeca.

L. XII. Res a Gelone gestae.

L. XVI. Inter bella Carthaginiensia Syracusis a Dionysio tyrannis conditur.

L. XXII. Syracusae Dionysiorum tyrannide premuntur.

L. XXVIII. Post Dionysii minoris fugam Syracusani de rebus civilibus contendunt.

Jam per hos quinque libros omnia fragmenta ad Siciliam pertinentia ex ordine distribuenda sunt, quae Marcius argumenti differentiae ratione non habita per totum opus dispersit. Aliud fragmentum argumento suo ad librum VII. pertinens non exstat. In libro XII. fr. 111 iuxta fr. 110 positum manebit, sed reliqua fragmenta omnia a Marcio huic libro adscripta (fr. 112—118) alio loco ponenda sunt, quod infra faciemus. In libro XVI. fragmenta 123 et 124 collocanda sunt eiecto fragmento 125. (Hoc fragmentum Ephori nomine non nota-

tum nescio an omnino ex eius fragmentorum numero eximendum sit). Ad librum XXII. ex ea, quam supra proposuimus, argumenti ratione frgta 132 et 141 a pertinent a Marcio libris XVIII. et XX tributa; Dionysii enim maioris res gestas et mortem spectant. Denique libro XXVIII. praeter fragmenta 149. 149a. 150 libri numero notata adiudicanda sunt 152 et 156 Philisti mortem et res a Timoleonte gestas tractantia. Qua re quinque libros ad res Siculas pertinentes constitutos esse censeo fragmentis his:

L. VII. fr. 99. L. XII. fr. 110. 111. L. XVI. fr. 123. 124. L. XXII. fr. 132. 141a. L. XXVIII. fr. 149. 149a. 150. 152. 156.

Par. III. Jam vero ex triginta totius operis libris primos quinque ipsam historiam quasi praeparantes, deinde quinque libros res Siculas continentes absolvimus, ita ut tertia operis parte constituta ipsis Graecorum rebus iisque quae cum iis connexae erant enarrandis viginti libri relictis sint. De his viginti libris quinquaginta fragmenta supersunt, quorum viginti duo libri nota praedita ad nos pervenerunt. Sed maxime dolendum est, quod inter haec multa sunt tam exilis argumenti, ut nihil omnino faciant ad ordinem narrationis constituendum. His igitur missis, quae ex reliquis de quorundam librorum argumento elici possunt, haec sunt: Libro VIII. (fr. 100) Croesi historia narrata erat. Libro X. (fr. 107) Miltiadis mentio facta. Libro XVII. (fr. 126) Alcibiadis mors tradita fuit. Liber XVIII. (fr. 130) Spartanorum bella in Asia gesta, liber XIX. (fr. 134—137) sequentes Graecorum contentiones continuit. Libro XX. (fr. 138) ea relata erant, quae post pacem Antalcidae evenerunt. Quod si hic subsistentes inquirimus, quid ex tam paucis indicis de operis dispositione usque ad librum XX. statuendum esse videatur, primum, credo, constat auctorem inde a libro X. quippe quo res a Miltiade gestae narratae essent, bellorum Medicorum historiam exorsum esse. Deinde liber VIII. sine dubio res Persarum, Cyri et Croesi historiam continuit, ita ut fragmento 100 fragmenta 101 et 102 adiungenda sint. Quamobrem verisimillimum est libro IX. coloniarum Graecarum in Asia minore rebellionem et universam Darii historiam usque ad eius expeditiones contra Graeciam susceptas enarratam fuisse, a quibus liber X. initium habuerit. Cui argumenti definitioni libri IX. fragmenta

ita comparata, ut nihil probent, tamen non repugnant. Jam vero, cum liber VII. ad res Siculas pertineat, Graecae historiae usque ad bella Persica deducendae solus liber VI. relinquatur. Quo in libro res Lacedaemoniorum filum narrationis effecisse credo, qui per totum hoc tempus primas partes in Graecia agebant et de quorum principatu ante bella Persica nemo dubitabat (fr. 97. 98). Utrum praeter Lacedaemoniorum bella contra vicinas civitates, praeter externae potestatis incrementa hoc libro etiam ipsa reipublicae instituta tradita fuerint, (hoc enim si statuimus, ex Muelleri coniectura etiam fr. 64 de Cretae institutis huc referri poterit) an haec auctor iam in ipsa reipublicae a Doriensibus conditae narratione libro I. tractaverit, in medio relinquendum erit. Fr. 53 autem, quod ad bella Messeniaca pertinere supra docuimus, huic libro tribuere non dubitamus. Etiam fr. 106 huc referimus. Athenae, alter, ut frequenti veterum metaphora utar, Graeciae ὑψηλός per ipsa demum bella Persica ad hanc auctoritatem pervenerunt; mythos de civitatis initiis circumlatos auctor libro II. videtur tetigisse; quae praeterea de Athenarum historia monenda erant, de Solonis legibus, de Pisistrati et Pisistratidarum tyrannide, in libri X. initio posita fuisse crediderim, cuius libri narratio omnino maxime circa res Atheniensium versari debebat, qui soli primo bello Graeciam contra Persas defenderunt. Imo si veterum ingenium reputaveris, qui non, ut nos, in singulis rebus rationem aliquam latius patentem sequi consueverunt, non ita a vero nos aberrare concedes, si statuerimus Ephorum omnino primum bellum Persicum inter res Atheniensium retulisse. Sed quomodocunque haec se habeant, ita fere quatuor librorum, de quibus modo disputavimus, argumenta constituenda esse censeo. Continentur:

Libro VI. Lacedaemoniorum incrementa et principatus usque ad bella Persica.

L. VIII. Res Asiae usque ad conditum Cyri imperium.

L. IX. Res Darii Hystaspis et caussae, quae eo regnante bella cum Graecis adduxerunt.

L. X. Res ante Xerxis expeditionem ab Atheniensibus gestae.

Haec vero fragmenta his libris adscribenda esse videntur:

L. VI. 97. 98. 53. 64. (?) 106. L. VIII. 100. 101. 102. L. IX. 103^{1/2}. 104^{1/2}. 105. L. X. 107.

Deinde cum libro XII. ut vidimus, bella a Carthaginiensibus in Sicilia eodem tempore gesta, quo Xerxes Graeciam invasit, narrata fuerint, non possumus, quin Xerxis expeditioni et omnino bellis a Graecis contra Persas gestis librum XI. tribuamus et peropportune accidit, ut is fragmentis a Marxio ei vindicatis liberatus sit. Eorum loco omnia ea fragmenta huic libro adscribenda erunt, quae Marxius in duodecimum intrusit fr. 112—116. Itaque liber XI. cum praecedente arctissimo rerum nexu coniunctus continuit:

Reliquam bellorum Persicorum partem usque ad Cimonis pacem¹⁾.

Libro XVII. Alcibiadis mors narrata fuit, quae paulo post bellum Peloponnesiacum finitum accidit. Jam vero non dubitandum est, quin tam gravis eventus, quam fuit belli Peloponnesiaci finis, in fine libri positus fuerit (quod etiam a Diodoro factum videmus). Itaque cum liber XVI. res Siculas tractaverit, sequitur librum XV. cum fine belli Peloponnesiaci terminatum esse et libris XIII. XIV. XV., de quorum argumentis per veterum testimonia nihil fere statuere licet, res inde a fine bellorum Persicorum usque ad belli Peloponnesiaci finem narratas fuisse. Jam quaeritur, quomodo hoc temporis spatium per tres libros distribuendum sit. Aptum videri possit ita statuere, ut auctor secundolibro belli Peloponnesiaci historiam exorsus sit et priorem huius belli partem usque ad Niciae pacem sive ad expeditionem contra Siciliam susceptam enarraverit. Ita enim tres partes efficiuntur argumento inter se satis disiunctae atque annorum numero fere aequales. Tamen quominus ita iudicemus Diodorei operis ratio impedit. Omnes enim res, quae secundum hanc descriptionem librum XIII. expleturac erant, a Diodoro septendecim capitibus tractatae

1) Hanc enim pacem, quam fictam neque vero unquam compositam fuisse Dahlmann: Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte, Thl. I. et Krüger in: Archiv für Philologie und Paedagogik, P. I. doctis argumentationibus probaverunt, ab Ephoro fuisse traditam Diodori exemplum demonstrat (XII. 4).

sunt¹⁾, cum ceteris autem Ephori libris circa quinquaginta Diodori capita congruunt. Jam intelligi non potest, cur aut Diodorus huius libri Ephorei tanto brevioris epitomen exhibuerit, quam ceterorum, aut ipse Ephorus hunc librum tanto brevioris constituerit. Potius ex hac Diodori brevitate videtur colligi posse easdem res apud Ephorum quoque breviter tractatas fuisse neque totum explevisse librum. Quae si vera sunt, auctor iam libro XIII. belli Peloponnesiaci historiam exorsus erat, ita ut, quae inter hoc et bella Persica evenerunt, huius historiae quasi introductionem effecerint. Tum ita videtur distribuendum, ut

Liber XIII. res usque ad Niciae pacem deduxerit,

Libro XIV. expeditio contra Syracusas facta enarrata fuerit,

Liber XV. extremam belli Peloponnesiaci partem exhibuerit²⁾.

1) XII. 1—7. 27. 28. 30—37. Contra Ephori libro XI. sexaginta octo Diodori capita respondent: Diod. XI. 1—19. 27—48. 50. 54—65. 69—71. 74. 75. 77—85; libro XII. res Siculas continenti quadraginta novem capita XI. 20—26. 38. 49. 51—53. 66—68. 72. 73. 76. 86—92. XII. 8—26. 29. 53. 54. 82—84.

2) Jam etiam respondentium operis Diodorei partium aequalior fit modus. Cum libro XIII. quinquaginta septem capita conveniunt (XII. 1—7. 27. 28. 30—49. 52. 55—81.) libro XIV. triginta tria capita, XIII. 2—34, libro XV. unum et quadraginta XIII. 36—42. 45—53. 64—74. 76—79. 97—107. — Ceterum si accuratius in rem inquirimus, haec dispositio etiam cum ipsa temporum indole magis convenit. Res enim inter Persica bella et Peloponnesiacum gestae re vera proprium πράξεων γένος non efficiunt, sed Graeci, postquam barbaros debellare desierunt, in internas discordias abire coeperant, quarum summa est bellum Peloponnesiacum. Accedunt aliae caussae, quae Ephorum movere debebant, ut res post bella Persica gestas in belli Peloponnesiaci prooemio positas obiter tantum tangeret, Thucydides exemplum et fontium exilitas, de qua cf. Thuc. I. 97, ubi de temporis inde a bello Persico usque ad bellum Peloponnesiacum praeterlapsi historia legimus haec: Ἐγραφα δὲ αὐτὰ καὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ λόγου ἐπισησάμην διὰ τὸδε, ὅτι τοῖς πρὸ ἐμοῦ ἅπασιν ἐκλιπέες τοῦτο ἦν τὸ χωρίον καὶ ἡ τὰ πρὸ τῶν Μηδικῶν Ἑλληνικὰ συνετίθεσαν ἢ αὐτὰ τὰ Μηδικά. Ac re vera Ephorus, quod ex Diodoro discimus, de toto hoc tempore nihil aliud protulit, quam quae in primo Thucydides libro legimus. Quamquam enim ex more suo narrationibus Thucydides quaedam immiscuit

Cum hoc libri XV. argumento commode convenit fr. 122 vetere testimonio ei adscriptum nil nisi nomen continens Σκῆψις ἐν τῇ Τροίᾳ. Cum enim haec belli pars fere tota circa Asiae minoris litora versata fuerit, urbis in illa regione sitae per narrationem facile mentio fieri potuit. Omnino autem his libris tribuenda sunt fragmenta haec:

Libro XIII. 117. 118. 119. 120. Libri XIV. nullum exstat fragmentum¹⁾; libro XV. 121. 121 a. 122. 127^{1/2}²⁾.

Jam, ut ad sequentes libros pergamus, cum liber XX. rem continuerit statim post pacem Antalcidae gestam Mantineae διοικισμὸν (fr. 138), certe certius esse videtur praecedentem librum XIX. per hanc pacem finitum fuisse (quod iam Marxius ad fr. 136 recte adnotavit), ita, ut quae inde a belli Peloponnesiaci fine usque ad hoc temporis momentum evenerint, quae omnia Diodorus uno libro XIV. complectitur eoque res Siculas quoque continente, libris XVII. XVIII. XIX. fuerint prodita. Hi autem libri omnes certis fragmentis distincti sunt; libro XVII. enim Alcibiadis mors adscripta est (fr. 126), libro XVIII. bella Lacedaemoniorum contra Persas (fr. 130. 131), libro XIX. internum Graecorum bellum (fr. 134—137). Jam cum his indiciis non minus, quam cum ipsis factis convenire videtur haec librorum descriptio:

Libro XVII. ea eventa narrata erant, quae Athenis et Spartaee bellum Peloponnesiacum insecuta sunt, triginta tyrannorum imperium, libertas reipublicae restituta, Alcibiadis exitus, Lysandri Spartanorum leges evertendi consilia etc.

aliunde desumpta atque a Thucydides consilio aliena veluti pacis Cimonicae mentionem, tamen in universum rerum propositarum, numerorum exhibitorum, annorum computationis Thucydides solus auctor est. Ephorus igitur in bellis Persicis Herodoto, in Peloponnesiaco Thucydide auctore usus non minus fontium, quam rerum natura ad eam, quam supra exhibuimus, distributionem, ducebatur.

1) Fragmenta 121. 121 a. enim in schemate Marxiano huic libro non recte tributa sunt.

2) Hunc locum extremum huc refero, quia eius argumentum ad eum rerum ordinem pertinere videtur, quo bellum Peloponnesiacum conclusum est.

Huic libro igitur praeter fr. 126 assignandum est fr. 127¹ illa Lysandri consilia tangens. Fragmenti 128 locus dubius est neque, quo referatur, magni interest.

Liber XVIII. bella in Asia a Cyro et a Spartanis contra Artaxerxem gesta continuit.

Itaque praeter fragmenta 130 et 131 huc referenda sunt fragmenta 129 et 135¹. Denique

Libro XIX. internae illae Graecorum contentiones expositae erant, per quas Agesilaus cogebatur ex Asia in patriam redire et quae pace Antalcidae terminatae sunt.

Ad hunc igitur librum praeter frgta 134—137 etiam fr. 133 pertinet, quod Marcius libro XVIII. adscripsit. Jam hic evadit in his libris fragmentorum ordo:

L. XVII 126. 127^{1/2}. 128 (?) L. XVIII. 129. 130. 131. 135^{1/2}. L. XIX. 133. 134. 135. 136. 137. ¹⁾

Ad sequentium librorum ordinem constituendum maximi momenti est fr. 146a., quo docemur libro XXV. praelium Mantineense narratum fuisse, cui testimonio addendum est fr. 143: ὡς τῶν παρ' ἡμῶν τις κατὰ τόχην ἀνεγνωκῶς δύο τῶν Ἐφόρου βιβλίων ἢ τρία δεῖ τὴν ἐν Λεόκτροις μάχην καὶ τὰ συνεχῆ διηγουμένους. Τὰ συνεχῆ enim quid aliud possit significare, ac breve illud temporis spatium, per quod Thebani primas partes

¹⁾ His libris Diodorei libri XIV. partes respondent haec: libro XVII. capp. 1—6. 10—13. 17. 32—34, omnino capita quatuordecim; libro XVIII. capp. 19—31. 35—39. 79. 80, omnino viginti capita; libro XIX. capp. 81—86. 89. 92. 94. 97—99. 110, omnino tredecim capita. Reliqua libri pars tota ad Siciliam pertinet. Ne quis miretur superioribus Ephori libris triplicem fere capitum Diodoreorum numerum respondisse, hoc inde facile explicari posse puto, quod in his rebus narrandis Ephorus copiosior fuerit, quam in praecedentibus, quippe quae ipsius aetati tanto fuerint propiores, Diodorus brevior ut in minus celebri historiae parte simulque rerum in Sicilia gestarum copia pressus, in quas cum ipse patria Siculus esset plus studii quam in ceteras impendit. Jam vero duabus causis eandem vim exercentibus facile tanta differentia effici potuit, quae etiam in singulis rebus apparet. Comparantur e. c. apud Diodorum proelii Salaminii (XI. 16—19) et proelii Leuctrici (XV. 55. 56) descriptiones, quarum apud Ephorum contrariam fuisse rationem nullus dubito.

in Graecia agebant, non video. Cuius temporis per proelium Mantineense finiti initium aut Cadmea a praesidio Spartano liberata haberi potest aut ipsum proelium Leuctricum. Illud enim Thebanis crescentis potentiae, hoc ipsius Graeciae principatus principium fuit. Jam prout aut hoc aut illud statueris, aut duo aut tres sunt rerum Thebanarum libri, qui cum per ipsam rerum naturam distincti sint, tum e Diodori narratione certissimo modo restitui possunt. Primo enim horum librorum

L. XXIII. res a Cadmea liberata usque ad id temporis momentum deductae erant, a quo, cum pax inter ceteros Graecos convenisset, soli Thebani ἔκαπονδοι γερόμενοι Spartanorum impetum sustinuerant.

Hunc rerum ordinem Diodorus exhibuit XV. 25—50 passim pro more suo alia de Persarum, Sicularum, Romanorum rebus immiscens et hanc rerum a Thebanis gestarum partem belli Boeotici nomine comprehendens. (XV. 25: ὁ κληθεὶς Βοιωτικός πόλεμος ἐνέστη Λακεδαιμονίοις πρὸς Βοιωτούς) ¹⁾. Tum

L. XXIV. secuta est ea rerum Thebanarum pars, quam apud Diodorum enarratam legimus XV. 51—76 et nomine belli Laconico-boeotici notatam.

Legimus enim in fine huius rerum ordinis c. 76: διότι ὁ Λακωνικός καὶ Βοιωτικός κληθεὶς πόλεμος καταλύθη πλεῖστον μείνας ἐτῶν πέντε, τὴν ἀρχὴν λαβὼν ἀπὸ τῶν Λεουκτρικῶν ²⁾. Denique

L. XXV. relata erat reliqua harum pugnarum pars circa Arcadiam versata, cui respondent Diodori capp. 77—89³⁾.

¹⁾ Si supra recte contendimus suo quoque Ephori librum nomine significatum fuisse, non ita a vero aberrare mihi videor libro XXIII. nomen vindicans: ὁ Βοιωτικός πόλεμος.

²⁾ Libro XXIV. igitur in scriptum fuisse crediderim: ὁ Λακωνικός καὶ Βοιωτικός πόλεμος. Finitum est hoc bellum communi omnium Graecorum pace ab Artaxerxe ipsa.

³⁾ Haec libro fortasse nomen fuit: ὁ κατὰ τὴν Πελοπόννησον πόλεμος. (cf. c. 82).

Veram esse hanc librorum descriptionem etiam frgto. 146 confirmatur libro XXIV. adscripto, quod ad alteram Epaminondae incursionem in Peloponnesum factam referendum esse supra demonstravimus. Praeter hoc libro XXIV. adscripserim fr. 143. 144. libro XXIII. frgta. 140. 141. 142. 145. libro XXV. solum restat fr. 146a. Sic librorum XXIII. — XXV. conditio satis illustrata esse videtur, sed in superioribus quaedam nondum explicata sunt. Librum XXII. ad res Siculas retulimus, quod cur factum sit nunc clare elucet. Etenim adnotandum est Ephorum libros Sicula continentibus ubique ita collocasse, ut iis simul graves rerum Graecarum ἐποχές notaverit. Ita libri, qui res Persas inter et Graecos gestas continuerunt VIII. — XI. libris VII. et XII. inclusi erant ad Siciliam pertinentibus. Eodem modo post bellum Peloponnesiacum libros XIII. — XV. complexum liber XVI. positus erat res Siculas tractans. Jam si librum XXII. rebus Siculis vindicamus, etiam res Thebanae eodem modo a praecedentibus secernuntur.

Sed restat, ut de libris XX. et XXI. paucis disputemus, quos ea continuisse necesse est, quae inde a pace Antalcidae usque ad Cadmeam a praesidio Lacedaemoniorum liberatam gesta sunt. Jam vero hae res per se in duas partes discedunt, quarum altera constat iis,

quae Lacedaemonii per Artaxerxem προσταται τῆς εἰρήνης facti contra Graccarum civitatum libertatem moliti sunt.

Huc igitur pertinent, quae circa Mantineam, Phliuntem, Olynthum, ipsas Thebas gesta sunt; altera pars circa res Asiae versatur amplectiturque Artaxerxis bella contra Euagoram et Aegyptios gesta. Itaque hi duo rerum orbes omnino non inter se cohaerentes duobus libris commodam praebuerunt materiem. Atque res in Graecia per Lacedaemonios gestas libro XX. assignandas esse docemur frgto. 138, quod Mantineae διοικισμὸν tangens veterum testimonio huic libro adscriptum est. Ad eundem librum ob argumentum pertinere videtur fr. 139. Libri XXI. fragmentum non exstat. (Libro XX. respondent Diodori capp. XV. 5. 12. 19 — 23. libro XXI. capp. XV. 2 — 4. 8 — 11. 18. fortasse etiam 29. 41 — 44).

Jam disputationi nostrae relicta est extrema operis pars, libri XXVI. — XXX. in quibus propter minorem etiam certorum fragmentorum copiam magis, quam in praecedentibus, coniecturis locus erit. Librum XXVIII. ad res Siculas pertinere supra monuimus. Deinde

L. XXX. bellum sacrum narratum fuisse tribus fragmentis probatur (143. 154. 155) huic libro adscriptis, quibus addendum est fr. 157. Tum fr. 147 libro XXVI. adscriptum res inter Persas et Aegyptios gestas tangit, quas singulari libro tractatas fuisse non modo per ipsam earum naturam, sed etiam per copiosam Diodori narrationem verisimile est. Statuendum est igitur, cum Diod. XV. 89 cum Ephorei libri XXV. fine convenerit, sequenti capite 90 sequentis libri XXVI. initium notari. Quod si verum est, huic libro, cuius praeter memoratum nullum exstat fragmentum, respondent Diodori capp. XV. 90 — 93. XVI. 34. 40 — 52,

Artaxerxis contentiones contra nationes rebelles continentia.

In libri XXX. autem principium posuerim belli sacri initium, i. e. Diod. XVI. 22¹⁾, ita ut omissis iis capitibus, quae inter sequentia aut res Siciliae tractant aut res Asiae, huic libro respondeant Diodori capp. 23 — 40. 53 — 64. 74 — 76. Capite 76 Diodorus ipse Ephori opus hoc loco finem habere adnotat. Jam uno tantum fragmento relicto 148 duo libri describendi restant XXVII. et XXIX. His autem primo ea narrata esse necesse est, quae in Graecia inde ab Epaminondae morte usque ad belli sacri initium gesta sunt (huc maxime bellum Atheniensium sociale pertinet), deinde ea, quae ipse Philippus ante bellum sacrum perpetravit. Neque eius adolescentiam praetermissam fuisse per Diod. XVI. verisimile est. Itaque

Libro XXVII. res Graecas tribuerim (fr. 148).

Libro XXIX. res Macedonicas, quae inde a bello sacro cum illis miscentur eamque ob causam libro XXX. recte unum cum iis ordinem efficiunt, cum antea diversis libris tractatae essent.

¹⁾ Ὁ κληθεὶς ἱερὸς πόλεμος συνέστη καὶ διέμεινεν ἑτὴ ἑννέα
Huic libro inscriptum fuisse ὁ ἱερὸς πόλεμος verisimillimum est.

Jam tota hac quaestione absoluta non inutile fore arbitror disputationis summam in brevi conspectu collocare tabulamque operis Ephoræi ex restitutione nostra exhibere, quam esti minime contenderim omnibus numeris absolutam esse, (multa enim non tam demonstrata sunt, quam divinata), tamen aliquanto propius ad verum accedere, quam Marxi descriptionem persuasum habeo.

I. Heraclidarum reditus. Peloponnesus.	<u>1.</u> <u>2.</u> <u>3.</u> <u>4.</u> <u>5.</u> (?) <u>6.</u> <u>7.</u> <u>8.</u> <u>9.</u> <u>10.</u>
II. Res in Hellade post reditum Heraclidarum gestae.	<u>11.</u> <u>13.</u> <u>15.</u> <u>17.</u> <u>18.</u> <u>19.</u> <u>20.</u> <u>24.</u> <u>25.</u> <u>26.</u> <u>27.</u> <u>30.</u>
III. Coloniae post reditum Heraclidarum in insulas et in Asiam deductae.	(<u>31.</u> <u>32.</u>) <u>32 a.</u> <u>33.</u> <u>34.</u> <u>35.</u> <u>36.</u> <u>37.</u>
IV. Europa.	<u>40.</u> <u>41.</u> <u>42.</u> <u>43.</u> <u>38.</u> <u>39.</u> <u>44.</u> <u>45.</u> <u>50.</u> <u>51.</u> <u>51.</u> <u>46.</u> <u>47.</u> <u>48.</u> <u>49.</u> <u>54.</u> <u>28.</u> <u>56.</u> <u>57.</u> <u>55.</u> <u>29.</u> <u>14.</u> <u>70½.</u> <u>67.</u> <u>68.</u> <u>59.</u> <u>16.</u> <u>58.</u> (?) <u>61.</u> <u>62.</u> <u>63.</u> <u>65.</u> <u>60.</u> <u>66.</u> (?) <u>69.</u> <u>71.</u> <u>70½.</u> <u>72½.</u> <u>74.</u> <u>72.</u> <u>73.</u> <u>72½.</u> <u>75.</u> <u>79.</u> <u>76.</u> <u>77.</u> <u>78.</u> <u>103½.</u>
V. Asia et Libya.	<u>81.</u> <u>82.</u> <u>80.</u> <u>83.</u> <u>84.</u> <u>85.</u> <u>86.</u> <u>87.</u> <u>89.</u> <u>104½.</u> <u>21.</u> <u>22.</u> <u>23.</u> <u>90.</u> <u>91.</u> <u>92.</u> (?) <u>93.</u> <u>94.</u> <u>95.</u> <u>108.</u> <u>109.</u> <u>96.</u> <u>96 a.</u>
VI. Historia Lacedaemoniorum ante bella Persica.	<u>97.</u> <u>98.</u> <u>53.</u> <u>64.</u> (?) <u>106.</u>
VII. Rerum Graecarum in Sicilia insula origines.	<u>99.</u>
VIII. Res Asiae. Cyrus.	<u>100.</u> <u>101.</u> <u>102.</u>
IX. Res Asiae post Cyrum usque ad bellorum cum Graecis gestorum initia.	<u>103½.</u> <u>104½.</u> <u>105.</u>
X. Res Atheniensium. Primum bellum Persicum.	<u>107.</u>

XI. Bella Persica inde a Xerxis expeditione usque ad pacem Cimonicam.	<u>112.</u> <u>113.</u> <u>111.</u> <u>115.</u> <u>116.</u>	Diod. XI. 1—19. 27— 48. 50. 54—65. 69 —71. 74. 75. 77— 85.
XII. Gelon. Bella cum Carthaginiensibus gesta.	<u>110.</u> <u>111.</u>	
XIII. Bellum Peloponnesiacum. Pars prior.	<u>117.</u> <u>118.</u> <u>119.</u> <u>120.</u>	XII. 1—7. 27. 28. 30. 52. 55—81.
XIV. Expeditio Syracusana.		XIII. 2—34. 15.
XV. Bellum Peloponnesiacum. Pars posterior.	<u>121.</u> <u>121 a.</u> <u>122.</u> <u>127½.</u>	XIII. 36—42. 45— 53. 64—74. 76— 79. 97—107.
XVI. Bella Carthaginiensia. Tyrannis a Dionysio condita.	<u>123.</u> <u>124.</u>	
XVII. Res Atheniensium et Spartanorum bellum Peloponnesiacum secutae.	<u>126.</u> <u>127.</u> <u>128.</u> (?)	XIV. 1—6. 10—13. 17. 32—34.
XVIII. Res Asiae. Cyrus et Spartani.	<u>129.</u> <u>130.</u> <u>131.</u> <u>135.</u>	XIV. 19—31. 35— 39. 79. 80.
XIX. Internae Graecorum contentiones usque ad pacem Antalcidae.	<u>133.</u> <u>134.</u> <u>135.</u> <u>136.</u> <u>137.</u>	XIV. 81—86. 89. 92. 94. 97—99. 110.
XX. Lacedaemoniiprostatatai tēs eipōnēs facti Graecas civitates subigere conantur.	<u>138.</u> <u>139.</u>	XV. 5. 12. 19—24.
XXI. Res Asiae. Bella Artaxerxis contra Enagoram et Aegyptios.		XV. 2—4. 8—11. 18. (29. 41—44?).

XXII. Dionysiorum tyrannis.	132. 141.	
XXIII. Bellum Boeoticum.	140. 141. 142. 145.	XV. 25—50.
XXIV. Bellum Laconicoboeoticum.	(143). 144. 146.	XV. 51—76.
XXV. Bellum Arcadicum.	146a.	XV. 77—89.
XXVI. Res Asiae. Artaxerxis pugnae contra nationes rebelles.	147.	XV. 90—93. XVI. 34. 40—52.
XXVII. Res Graecae ante bellum sacrum gestae.	148.	XV. 94. 9E. XVI. 7. 21. 22.
XXVIII. Syracusanorum turbae civiles.	149. 148a. 150. 152. 156.	
XXIX. Res Macedoniae. Philippi adolescentia.		XVI. 2—4. 8. 14. 22.
XXX. Bellum sacrum.	153. 154. 155. 157.	XVI. 23—40. 53—64. 74—76.

S. VI.

Comparata hac operis Ephorei descriptione cum Diodori libris colligitur, qua ratione Diodorus auctore suo usus sit ac quid denique de Diodori fide historica statuendum sit.

Jam vero primum constat Diodori opus, cuius materies in iis partibus, quas examinavimus, tota ex Ephoro fluxit, rerum ordine et narrandi forma prorsus ab hoc auctore discedere. Uterque enim contrariam rationem sequitur, cum Ephorus, quae re ipsa inter se cohaerebant, ea uno tenore narraverit, Diodorus autem coniunctis, quae diversis locis uno anno gesta sunt, narrationis filum saepius abruperit. Res Graecorum, Sicularum, barbarorum, quae apud Ephorum diversis libris maiores rerum orbis continentibus proditae sunt, a Diodoro

in minutas particulas sunt discerptae, ex annorum ordine posthabito ipso rerum nexu varie consutas. Atque hoc vel magis quam contrahendo Ephori narrationem mutilatam esse puto. Nam fieri non potuit, quin multa nexu, quo posita erant, interrupto obscura fierent, saepius singularum rerum relationes turbarentur vel in nova tela ordiendi manifesti errores intruderentur¹⁾. Deinde, quod maximi momenti est, ex hac utriusque operis ratione sequitur, chronologici rerum ordinis non Ephorum, sed ipsum Diodorum auctorem esse eamque ob causam has temporum notas non ita magnae fidei esse. Namque facile perspicui potest, qua ratione Diodorus in temporum ordine constituendo usus sit. Apollodorum ei inter notarum chronologicarum auctores fuisse iam supra monuimus. Deinde eum in hunc finem Timaeo usum esse verisimillimum est, quippe quem, ut supra demonstravimus, etiam in Sicularum rebus enarrandis adhibuerit. Docemur enim a Polybio Timaeum de fastis Graecorum constituendis optime meritum fuisse²⁾. Denique in Romanorum fastis ad annos Olympiadum adhibendis Fabium Pictorem aliosque rerum Romanarum scriptores eum secutum esse credimus Wesselingio (adn. ad l. XI. init.). Sed haec omnia Diodoro nihil aliud nisi schema aliquod chronologicum praebuerunt; qua ratione autem materies ex Ephoro hausta per hoc schema sit distribuenda, necessario ex proprio Diodori iudicio pendeat; atque in hoc ipso laboris eius summam positam esse arbitror, ita ut Diodorum

¹⁾ XII. 100 narratur Lacedaemonios sociis petentibus, ut Lysandrum iterum ναύαρχον eligerent, vetante lege, ne quis bis hunc locum obtineret, Aracum ναύαρχον elegisse, τὸν δὲ Λύσανδρον ἰδιώτην αὐτῶ συνεπέμεψαν προστάξαντες ἀκούειν ἅπαντα τούτου. Nihilominus c. 104 legimus: Λύσανδρος ὁ τῶν Λακεδαιμονίων ναύαρχος. Tali errorum non Ephorus, sed Diodorum habendum esse auctorem non dubito. Huc etiam pertinet negligens ac promiscuus vocum: Σπαρτιάται ac Λακεδαιμόνιοι usus, quibus a Thucydide et Xenophonte certissima distinctione adhibitis etiam Ephorus recte usum esse verisimile est. Etiam numeros Diodori propter nimiam magnitudinem valde suspectos huc retulerim.

²⁾ Polyb. XII. 11 ὁ γὰρ τὰς συγκρίσεις ποιοῦμενος ἀνάκαθεν τῶν ἐφόρων πρὸς τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς Ἀθηναίους καὶ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἀργεὶ παραβάλλων πρὸς τοὺς Ὀλυμπιονίκας . . . οὗτός ἐστιν.

non in congerenda materia tantum temporis consumpsisse statuendum sit, sed in digerenda ea per annos. Qua in re eum saepius in errores incidisse dudum a viris doctis monitum est¹⁾. Omnino autem nusquam Diodori auctoritas in temporum ordine constituendo aliquid efficere poterit contra alia argumenta. Hoc enim a nullo in dubitationem vocatum iri arbitror Diodorei nominis auctoritatem in iis plurimum valere, quae non sunt Diodori.

Sed iam quaeritur, quid tandem secundum hanc normam de operis Diodorei fide iudicandum sit, quem fructum historia ex hoc scriptore possit percipere. In rerum dispositione eum sequi non licet; nam ab ea, quam ipse praedicat, Ephori *οικονομικῆ* discedens, quae ab hoc scite et eleganter constituta erant, molestissima ratione perturbavit; neque magis in ipsis singulis rebus ei accedendum est; in his enim repetendo, excerpando, transponendo multa corrumpit; (accedit, quod vel integrum Ephori opus in his contra Xenophontis auctoritatem nihil efficere posset, qui rebus narratis tanto propior erat;) in temporum autem ordine constituendo Diodoro nullam fidem tribuendam esse modo probavimus. Quis igitur operis Diodorei usus relinquitur? Nam si Diodorus, qui peropportune solum Ephorum narrando secutus aliis fontibus abstinuit, ita ut merito Ephori auctoritatem Diodoreae substituere nobis videri possimus, ipsum Ephori opus per negligentiam atque inscitiam ita omni genere corruptionis depravavit, ut diximus, quam primum ei iure adscribere posse utilitatem putabamus, eam nihilominus ei postremo denegare cogemur. Sed bene evenit, ut aliter iudicare possimus. Primariam enim operis Ephorei laudem in eo positam fuisse demonstravimus, quod iis, quae ipsius tempore evenerunt, veram lucem adhibuit, cum optimos fontes adire potuerit et animo partium studio non turbato iis eventis, quae ex temporis ingenio sui simili profluebant iuste aestimandis omnino par fuerit. Has Ephorei operis virtutes certe iam in rebus disponendis et inter se coniungendis cerni necesse erat ac quae huc pertinent pleraque omnia a Diodoro perdita

¹⁾ Sic proelii Cnidensis tempus falso constitutum est. In bello a Lacedaemoniis contra Eleos gesto tota Olympiade aberratum est. Haec et alia notavit Krueger ad Clintonis Fastos Hellenicos.

esse concedendum erit; sed ipsae illae virtutes, id quod multo maioris momenti est, eiusmodi erant, ut etiam in minimas narrationum partes penetrare deberent. Atque quam vim Ephorus certis eventis tribuerit, quid de quibusdam hominibus senserit, qua ratione lumina et umbras per narrationem dispersit sit, ea omnia etiam per Diodori verba patere debent. Quod si in singulis bellorum eventis diiudicandis, in temporibus ac locis accurate definiendis Xenophontis auctoritatem plerumque iure praetuleris, contra in iis, quae modo tetigimus, i. e. in vera hominum et rerum aestimatione sine dubio Diodoro maior fides habenda erit. Denique quid commodi historia ex Diodori opere capiat, exemplis quibusdam illustrare iuvat, quorum nonnulla iam supra in Xenophontis vitiis eruendis tetigimus.

I. Agesilao ex principe loco, quem Xenophon contra rerum veritatem ei tribuit recedente, merito ad Epaminondam, eius victorem, summa laus et praemia virtutis deferuntur. Etenim XV. 88, quo capite Epaminondae laudes cum aliis illustribus Graecorum viris conferuntur, hic expressis verbis etiam Agesilao antefertur: *δοκεῖ γάρ μοι μὴ μόνον τοὺς καθ' ἑαυτὸν ὑπερβαλεῖν ἐν τῇ στρατηγικῇ συνέσει καὶ ἐμπειρίᾳ, πρὸς δὲ τοῦτοις ἐπιεικείᾳ τε καὶ μεγαλοψυχίᾳ: κατὰ μὲν γὰρ τὴν ἡλικίαν τὴν τοῦτου γεγόνασιν ἄνδρες ἐπιφανεῖς Πελοπίδας τε Θηβαῖος καὶ Τιμόθεος καὶ Κόνων ἔτι δὲ Χαβρίας τε καὶ Ἰφικράτης οἱ Ἀθηναῖοι: πρὸς δὲ τοῦτοις Ἀγησίλαος ὁ Σπαρτιατῆς β. τοῖς χρόνοις πρότερον ἐν δὲ τοῖς πρὸ τοῦτου χρόνοις ἐπὶ τῶν Μηδικῶν τε καὶ Περσικῶν καιρῶν Σόλων καὶ Θεμιστοκλῆς καὶ Μιλτιάδης ἔτι δὲ Κίμων καὶ Μυρωνίδης καὶ Περικλῆς καὶ τινες ἕτεροι παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις: κατὰ δὲ τὴν Σικελίαν Γέλων ὁ Λεινομένους καὶ τινες ἕτεροι: ἀλλ' ὅμως εἴτις συγκρίνειε τὰς τοῦτων ἀρετὰς τῇ Ἐπαιμινώνδου στρατηγίᾳ τε καὶ δόξῃ, πολὺ ἂν προέχουσαν εἶροι τὴν περὶ τὸν Ἐπαιμινώνδαν ἀρετὴν: παρὰ μὲν γὰρ ἐκάστῳ τῶν ἄλλων ἐν ἂν εἶροι προτέρημα τῆς δόξης, παρὰ δὲ τούτῳ πάσας τὰς ἀρετὰς ἠθροισμένας. Καὶ γὰρ βῶμη σώματος καὶ λόγου δεινότητι, πρὸς δὲ τοῦτοις ψυχῆς λαμπρότητι καὶ μισαργυρίᾳ καὶ ἐπιεικείᾳ καὶ τῷ μέγιστον ἀνδρείᾳ καὶ στρατηγικῇ συνέσει πολὺ διήνεγκε πάντων¹⁾.*

¹⁾ Memorabile est in hoc clarorum Graeciae virorum recensu eos tantum enumerari, qui aut aequales fuerunt Epaminondae aut ante eum

Sed in tota quoque praecedente narratione Epaminondae, ut decebat, ratio habita est, quem Xenophon vix nominavit.

II. Res ab Agesilao in Asia gestae cum praecedentibus artius connexae e sublimi loco, quo Xenophon eas posuit, simplicius in ceterorum eventorum ordinem reiiciuntur¹⁾.

III. Caussarum primi belli a Thebanis contra Lacedaemonios suscepti expositio propius ad veritatem accedit. Xenophonti si credideris, solus totius belli auctor est Tithraustes, qui, ut Agesilaum ex Asia submoveret, principes Graecorum civitates auro corruptit ἐφ' ᾧ τε πόλεμον ἐξοίσειν πρὸς Λακεδαιμονίους (Xen. Hellen. III. 5, 1 sqq.). Jam ii, qui Thebis, Corinthi, Argis pecuniam acceperant ἐς τὰς οἰκείας πόλεις διέβαλλον τοὺς Λακεδαιμονίους· ἐπεὶ δὲ ταύτας ἐς μῖσος αὐτῶν προήγαγον συνίστασαν καὶ τὰς μεγίστας πόλεις πρὸς ἀλλήλας. Jam Thebani, ut occasionem belli adducerent, Locris Opuntiis persuadent, ut Phocenses Lacedaemoniorum socios aggrediantur. Sic Lacedaemonii prorsus invitati in hoc bellum implicari viderentur, nisi postremo legeremus eos laetissimo animo hanc belli occasionem arripuisse (§. 5). Jam vero apud Diodorum, qui totam rem multo brevius narrat, prorsus alius est rerum habitus; XIV. 81. Φωκεῖς πρὸς Βοιωτοὺς ἔκ τινων ἐγκλημάτων εἰς πόλεμον καταστάντες ἔπεισαν τοὺς Λακεδαιμονίους συμμαχεῖν κατὰ τῶν Βοιωτῶν· καὶ τὸ μὲν πρῶτον αὐτοῖς ἀπέστειλαν Λύσανδρον μετὰ στρατιωτῶν ὀλίγων etc. Sic Lacedaemonii bellum incipiunt. Actum demum ceterae Graeciae civitates tali iniuria provocatae foedere facto commune bellum contra Lacedaemonios movent. Auri Persici ne levissima quidem fit mentio. Videmus culpam a Xenophonte maxime in Thebanos, a Diodoro in Spartanos verti. Jam Tithraustis corruptionem eam ob causam, quod a Diodoro non memoratur, negare mihi minime in mentem venit; Xenophon enim tale quid finxisse non credendus est. Sed nihilominus veram belli causam in Lace-

vixerant. Hoc enim documento esse videtur etiam huius iudicii de Epaminonda facti non ipsum Diodorum esse auctorem, sed eum Ephori sententiam repetere, qui cum ipse Epaminondae fere aequalis fuerit, eorum virorum, qui postea exstiterunt, rationem habere non potuit.

¹⁾ V. supra p. 12.

daemoniis quaerendam esse non dubito¹⁾. Hoc vel e Xenophontis narratione, si reputamus, quo is animo omnia aestimaverit, divinare licet, cum Spartanos bellum concupivisse ipse non infitietur. Maxime autem ipsa Sparta, qualis tunc erat, conditio facit, ut ita iudicemus. Puto enim, si licet coniecturam proponere, Lysandrum, qui hoc bello Lacedaemoniorum dux fuit ceciditque in proelio ad Haliartum commisso, eos maxime ad id suscipiendum excitasse. Cum enim ab Agesilao, quem regere conatus erat, repudiatus esset, non potuit, quin gloriae eius per res in Asia gestas crescenti invideret. Atque ipsa reipublicae fundamenta evertendi consilia cum hoc tempore mente agitasse Diodorus et Plutarchus ex Ephoro tradiderunt. Itaque verisimillimum est eum quiescere neceium occasionem quaesivisse, ut laude bellica Agesilaum aemularetur atque sibi ipse Sparta factionem compararet, cuius auxilio, quae animo moliebatur, perpetrare posset²⁾.

IV. Per Diodori narrationem multo clarius elucet, quibus caussis moti Lacedaemonii Agesilaum ex Asia revocaverint. Apud Xenophontem enim statim post res ad Haliartum gestas narratur (IV. 2) Lacedaemonios et ipsos exercitum exornasse et Agesilao imperasse, ut reverteretur. Per Diodorum docemur (XIV. 82) huic decreto gravissimas calamitates praecessisse. Defecerant omnes fere Lacedaemoniorum socii praeter Peloponnesios. Medius Larissae dominus Graecorum auxilio Pharsalum ceperat a Spartanis custoditam. Tum Boeoti cum Argivis Heraclea Trachinia potiti erant Lacedaemoniosque in ea captos occiderant. Tum Ismenias Thebanus gravi proelio Naryce in Locride Phocenses Lacedaemoniorum socios devicerat. Denique μετὰ τὴν παράτησιν ἀμφοτέρωι διαλύσαντες τὸ στρατόπεδον οἱ μὲν εἰς τὰς ἰδίας πατρίδας, οἱ δ' εἰς

¹⁾ Sievers p. 62 similiter iudicavit.

²⁾ Haec coniectura Plutarchi narratione in Lysandro obvia admodum confirmatur; c. 28: (Lysander) χαλεπὸς ὢν ὀργὴν διὰ μελαγχολίαν ἐπιτείνουσαν εἰς γῆρας παρώξυνε τοὺς ἐφόρους καὶ συνέπεισε πεμφθῆναι φρουρὰν ἐπ' αὐτοὺς καὶ λαβῶν τὴν ἡγεμονίαν ἐξεστράτευσεν. Manifestius etiam c. 27. (mortuus est Lysander) ἔμπεσάν εἰς τὸν Βοιωτικὸν πόλεμον ἢ μᾶλλον ἐμβαλὼν τὴν Ἑλλάδα· λέγεται γὰρ ἀμφοτέρωι· καὶ τὴν αἰτίαν οἱ μὲν τινες ἐκείνου ποιοῦσιν, οἱ δὲ Θεβαίων, οἱ δὲ κοινῆν.

Κόρινθον τὰ συνέδριον ἀγαγόντες ἐπεὶ κατὰ νοῦν αὐτοῖς προεχώρει τὰ πράγματα συνήγαγον ἐξ ἀπασῶν τῶν πόλεων στρατιώτας εἰς Κόρινθον πεζοὺς μὲν πλείους μύριον πεντακισχιλίων, ἵππεῖς δὲ περὶ πεντακισίους¹⁾.

V. Proelium Coroneense, cui Xenophon, quia ipse ei interfuerat, neglecta proelii Corinthiaci vi nimiam gravitatem adscripsit, a Diodoro iustius aestimatur²⁾.

VI. Factiones, quibus Sparta Agesilao regnante dilacerata est, distinctius memorantur a Diod. XV. 19³⁾.

VII. Ex Diodoro intelligimus expeditionis ab Agesilao contra Phliasios susceptae, quam Xenophon ita narravit, quasi ea exaequavisset magnitudine bellum Olynthiacum, quod Lacedaemonii eodem tempore gesserunt, multo minorem fuisse vim et gravitatem⁴⁾.

VIII. Res bello Boeotico, quod Lacedaemoniis Cadmea eiectione exarsit, gestae ac maxime duae Agesilai impressiones in Boeotiam factae, quas Xenophon scilicet ut haud ita multum ad Agesilai gloriam augendam facientes admodum cito praeteriit, a Diodoro multo accuratius et copiosius expositae sunt XV. 31—35.

Haec exempla sufficiunt, ut comprobemus, quantam utilitatem ex ea operis Diodorei parte, quae argumento cum Xenophontis Hellenicis convenit, percipere possimus. Reliqua ad ipsam huius aetatis historiam conscribendam reservari debent, quam ut una sententia praecedentis disputationis summam complectar, hinc fontium ordine inverso ita tractandam esse existimo, ut narrationis ordine, diversarum partium modo et rerum aestimatione, ipsis denique historiae fundamentis a Diodoro i. e. ab Ephoro petitis ad tempora accuratius definienda, numeros emendandos, singulas plerasque res copiosius exponendas viridioribusque coloribus depingendas adhibeantur

¹⁾ Haec Sievers p. 66 bene in historiae usum convertit.

²⁾ V. supra p. 11.

³⁾ V. supra p. 27.

⁴⁾ V. supra p. 11.

Xenophontis Hellenica. Quam normam si quis non secutus Xenophontem primo loco posuerit, ei aut, quod plerique historiarum scriptores fecerunt, Xenophontis ratio a partium studio minime aliena acceptanda erit, aut, quod Sieversio accidit, qui ultimus hanc aetatem tractavit, contrariae partes amplectendae.

Reliqua, quae de Justino, Cornelio Nepote, Plutarcho, Pausania, aliis supersunt, ea nunc omnia quamquam perscripta, tamen ne nimia sit harum quaestionum moles, in praesenti omitto.

Addenda et Corrigenda.

- p. 3. v. 22. l. hominum pro hominem.
p. 4. v. 17. l. praemisisset pro promississet.
p. 6. v. 11. l. in scribendo pro scribendo.
p. 8. v. 9. l. certe pro certo.
p. 11. adn. v. 19. l. *παροξύναι* pro *παροξύνας*.
p. 13. v. 7. l. habituri pro habitura.
p. 14. v. 10. l. ad Iliad pro ad II.
p. 16. adn. v. 2. l. in tali pro tali.
p. 16. adn. v. 23. l. iudicium pro iudicum.
p. 17. adn. v. 23. l. Artaxerxi pro Artaxaxi.
p. 19. adn. v. ult. l. *πρέσβεις* pro *πρεσβεις*.
p. 25. v. 18. l. *κάκτεϊνος* pro *κάνεϊνος*.
p. 45. v. 13. l. Apollodorei pro Apoolodorei.
p. 51. v. 19. l. *ἀρχαίας* pro *ἀρχαίας*.
p. 52. v. 6. l. monuimus pro nonuimus.
p. 53. v. 25. l. ancipiti pro auciditi.
ad pag. 69 sqq. Scymni Chii versus secundum Gailii editionem Geographorum minorum citantur, quia nobis, quum haec scriberemus, aucta Meinekii nostri editio non in manibus fuit.